BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
B
12
NAPOLI

Digitized by Google

JOHANNIS

CRATONIS

à

KRAFTHEIM

Archiatri Cæsarei, & aliorum Præstantissimorum Medicorum

CONSILIORUM, ET EPISTOLARUM MEDICINALIUM

LIBER SECUNDUS

Studio & opera

LAURENTII SCHOLZII,
Medici Vratisl. in
lucem editus



FRANCOFURTI
Sumptibus, JOHANNIS PETRI ZUBRODT,

ANNO MDCLXXI.

Nobilissimo, & Clarissimo
VIRO
Philosopho & Medico celeberrimo,
Domino

JOACHIMO CAMERARIO,
PHYSICO REIP. NORINB.
DIGNISS.
Amico S. Singulari,

LAURENTIUS SCHOLZIUS
SIL. DOCTOR,
Librum hunc secundum Consiliorum, & Epistolarum Medicinalium, amicæ necessitudinis, grataque observantiæ causa,
DD.

Digitized by Google

LAURENTII SCHOLZII MEDICI VRATISL.

Ad ſanioris Medicinæ cultores,

PRÆFATIO.

CUm generi humano, poſt cœleſtis doctrinæ ſtudium, nihil in hoc exiguo vitæ curriculo Medicorum inventis, utpote ad tuendam, recuperandamque valetudinem, ſine qua nulla cæterarum rerum voluptas, atque utilitas eſſe poteſt, ſumme neceſſariis, utilius eſſe meridiana luce clarius ſit; eos certe, qui de publica magis, quam de propria utilitate ſoliciti, poſthabito invidiæ ac obtrectationis metu, artem Medicam, utilibus præſtantiſſimorum Medicorum, qui in Medicina factitanda diu multumque elaborarunt, ac inter cæteros medendi laude claruerunt, indeque gloriam immortalem conſecuti ſunt, obſervationibus pro virili augere, eaſque literis ad poſteritatem transmittere ſtudent, præclare de mortalium genere promereri rationi conſentaneũ eſt. Hoc ego in animo meo volvens ac mecũ accurate perpendens, ut pro mea etiam parte artem noſtram præclariſſimam, quæ publicæ ſalutis temonẽ dirigit, quoad poſſem

juvarem, me, ut Consilia ista medica, à nemine, quod sciam, hactenus vulgata, quæ haud mediocriter, meo quidem judicio, in commune profutura essent, sub hominum conspectum prodire permitterem, adduci passus sum. Etsi autem non ignorem neminem unquam futurum, cujus industria immensam judiciorum varietatem effugere queat, ac qui aliquid omnibus numeris absolutum, ut contentiosis inquisitoribus satisfieri possit, in publicum emittat: tamen cum hoc quicquid est laboris, non ambitione quadā (quid enim ex alienis scriptis laudis captarem?) sed eo potissimum fine, ut publicæ hominum saluti consulerem, ac ut studium meum, bene de multis promerendi, posteritati notum facerem, in me susceperim, magna me spes tenet, fore ut censores illi, alienam in me culpam nequaquam reprehensuri; sed potius conatus istos nostros, ad Medicinam illustrandam directos, non sine laude ac favore excepturi ac approbaturi sint. Nisi enim consultationes istas Medicas, in quibus multa certæ vitæ utilissima continentur, plurimis profuturas existimassem, meque harum publicatione multorum hominum saluti consulturum putassem tantum profecto laboris, nullius mei commodi respectu, non sumpsissem, neque rem omnium pretiosissimam tempus in alienis scriptis, ad editionem parandis, contrivissem.

Cum

Cum itaque ex horum consiliorum editione non laudem aliquam quæram, ac laborum potius veniam, quam præmium expetam, curiosorum ingeniorum, quibus quidvis carpere, quam imitari aut facere facilius est, censoriam animadversionem non summopere pertimesco, quin potius hunc unicum industriæ meæ fructum expeto, ut dum Medicinæ cultoribus, syncere judicantibus, adjumento sim, plurimorum saluti consuluisse, ac grati animi memoriam erga Medicinam, amplissimam professionem nostram, omnibus publice declarasse videar. Et hæc de proposito meo impræsentiarum dicta sufficiant. Quod reliquum est gratias, quas mente concipere posim, ago maximas iis, qui me in hoc instituto meo hactenus egregie juvarunt, inter quos primo loco, non immerito nomino clarissimum virum Dominum JACOBUM MONAVIUM, summum amicum meum, qui ex bibliotheca fratris sui quondam Medici Cæsarei, piæ memoriæ, quicquid desidero, liberalissime mecum communicat. Hunc alii quoque imitati sunt, in quorum numero non postremum locum obtinet Vir Clarissimus, dominus Doctor *Paulus Fridevvaldus*, Medicus Vratislaviensis primarius, nec non Doctor *VVenceslaus Raphanus*, *Iohannes VVeidnerus*, ac *Petrus Rothus*, Rerumpublicarum Troppaviensis, Guraviensis, & Freista-

diensis Physici dignissimi, ac amici mei singulares. Idem ut alii quoque deinceps præstare studeant, propter communem utilitatem, majorem in modũ ipsos rogatos volo. Quod si, ut certo confido, impetravero, non solum magno me beneficio ab ipsis affectum esse arbitrabor: verum etiam publice, id, ut gratum hominem decet, in posterum, honorifica ipsorum mentione facta, prædicaturus sum. Taceo Dominum Magistrum *Martinum Weindrichium*, virum doctissimum, ac Philosophum præstantissimum, qui vertendis Germanice scriptis consiliis operam suam mihi, alias propter crebras ægrorum visitationes occupatissimo, non gravatim collocavit. Sed de his quoque satis. Valete felicissime ac diutissime, lectores candidissimi, meumque studium in publicandis scriptis utilibus & necessariis sincero animo accipite. Vratislaviæ die *S.* Bartholomæi, An. salutiferi partus MDXCII.

INDEX CONSILIORUM.

INDEX RERUM.

A.

CON-

CONSILIUM
PRIMUM,
In Catarrho, pro quodam nobili viro.

Vetus ſum conſultor valetudini viri præſtantisſimi adhibitus, fateor. Sed quo ætas ab ipſo tempore, quo ſcripſi conſilium, longius eſt progreſſa, eo major & corporis temperaturæ, & judicii mei facta eſt mutatio. Quid igitur in conſilio meo probandum, vel improbandum ſit ignoro. Medicus catarrhi cauſam præcipuam ad intemperiem epatis refert. Non repugno. Sed cur vapores calidi & humidi potius illi per ventriculum ab epate ad cerebrum, quam per venas ad caput deferri videantur, cauſam non reperio. De his vero nullam controverſiam moveo. Nam utrumque fieri poſſe conſentaneum eſt. Si tota cauſarum vis ex ſubjectis partibus pendet, illorum intemperies mutanda. Si, quod magis exiſtimo, caput infirmum eſt, illud roborandum. Vera roboratio eſt temperamenti reſtitutio. Posſit ne reſtitui neſcio. Conatus perpetuo utilis. A cibo ſumantur ea, quæ aſcenſum vaporum remorantur. Eſt pulvis pepticus Sylvii, ſunt coriandri præparata ſemina. Eſt confectio Diacydonites ſine ſpeciebus.

bus. Huic poteſt ſaccharum roſatum cum bolo armena admiſceri. Vacuationes in morbis pectoralibus à catarrho non probo. Et mediocri doctrina præditi atq; uſu artis præſtantes Medici cauſas intelligunt. Quid enim faciunt ad coctionem, quid ad vacuationem materiæ in pectore? Quid ad derivationem, cum magis commoveant? Quid ad capitis & ventriculi robur? Quid ad epatis temperiem corrigendam? Poſſe quædam contradici ſcio. Verum in morbis pectoralibus, tutisſimum eſſe abſtinere à medicamentis purgantibus re ipſa comperi. Pillulæ de aloe Roſata ſunt ἐκκοπρωτικὸν medicamentũ, roborant & ſiccant. Manna cum ſyrupo roſarum ſeroſos humores ducit. Aloen miſcere cum diureticis calidis, inſcitiæ eſt. Neque levatur ſucco feniculi, præſertim ſena infuſa, quæ viſcidum quiddam in ſe habet, atque ob hoc tormina excitat, niſi medicamentis, quæ ſunt tenuiſſimarum partium, neque tamen diuretica, corrigatur. Non libet de his plura ſcribere. Si catarrhi cauſſa à ventriculi & epatis intemperie dependet, & acidulæ utrique medentur, non dubito earum uſum rectum eſſe. Sed cum meo judicio intemperies capitis præcipue ſit morbus, à quo ſymptomata illa procedunt, ea ſi ullo modo fieri poteſt, curanda. Acidulæ autem quid ad hoc valeant neſcio. Nocere non poſſe arbitror. Inſeſſus ad diverſionem mate-

teriæ

riæ catarrhi probantur, si per hos epatis intemperies calida corrigenda, cur non potius fomenta adhibemus? Absynthium præsertim nostrum, frigidum existimare non solemus, & cum siccitas ad caliditatem faciat, atque rosæ etiam admixtæ siccent. Quam erit hoc medicamentum utile? Itaque post insessus in aqua dulci, oleo potius, cui santali, rosæ & parum etiam absynthii incoqueretur, cum vino in vase duplici, epar inungerē. Olea enim minus siccant. Quod insessus adjuvant, eo fit, quia materia catarrhi his in universo corpore contemperatur, & à pectore derivatur. Verum nisi me omnia fallunt, ad intemperiem capitis præcipue respiciendum. Adhibendi igitur capiti foris sacculi ex rosis, santalis, cui admisceatur pulvis succini, parum mastycis, macis, & caryophyllorum, atq; fiat, ut appellant, cacupha. In ore præsertim nocte, teneat parum de nuce muscata tosta. Mane ad crassos spiritus, qui agitati ad vertiginem faciunt, parum carui assumat. Utatur obiculis confectis cum oleo carui, item anisi, feniculi, sæpe carui odore, suffitum faciat ex styrace. Utatur matutinis frictionibus, lotionibus pedum, in quibus magnum est juvamentum. Hæc possent ista hyeme fieri. Præcipue vero recta victus ratio observetur, & caput, pedes, atque pectus à frigore muniantur. Non poteram in festinatione scribere plura; nec debebam.

bam. Indicationes curativas esse collationes morbi & auxilii nemo dubitat. Morbus est intemperies capitis, à qua dependent symptomata. Non inficior aliquid ad eam intemperiem epatis & ventriculi facere. Itaque ad eam quoque respiciendum. Materia, quæ in pectore & pulmonibus collecta est, tussi, non medicamentis alvum ducentibus, expurganda. Pectus roborandum, tam iis quæ foris adhibentur, tam quæ intus assumuntur, inter quæ bolus armena, in hyeme etiam theriaca cum sacharo rosato primas obtinent.

IOH. CRATO
à
KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM II.

In catarrho, pro aliquo quodam nobili viro.

AMplissime vir, simplicissimus medicamentorum usus rectissimus est; & legimus apud scientiæ nostræ magistrum præclarum: scelus esse uti compositis, cum simplicia satis adjumenti afferre possunt, itaque quod ad purgationem attinet, etiam nunc rectum videtur, ne à formula illa, quam præscripsi, discedas. Admixturam roborantem caput atque ventriculum quod attinet, magis mihi simplex hoc electuarium probatur.

℞ Con-

℞ Conser.borrag.
Cortic.citri condit.an.℥ ß.
Conser.rosarum ℥ iiij.
Syr.aromatic. rosat.ʒ i ß.
Caryophyl.incisor. ʒ.i.

Misc.de hac matutinis horis sumat Tua præstantia ad magnitudinem nucis castaneæ. Ad catarrhum autem sedandum hora decubitus tantundem de sequenti electuario accipiat:

℞ Conser.rosar: ℥ j.
Thuris mascul.℈ij.
Nucis conditæ tostæ ℈ß.
Syr.aromatic.rosat.℈ß.
Misc.& f.electuarium.

Si epar roborandum esset, acciperem de confectione ista duos orbiculos, qui leviter ventrem solverent:

℞ Sacchar in aqua cinamom.distillat.
℥ ij.
Rhabarb.subtiliter pulver. & electi,
ʒiiij.
Extractionis rhabar.ʒß.
Misc.& l.a.f.confectio in rotulis.

Lotiones capitis prosunt inprimis iis, qui fluxionibus tentantur. Sed in iis quoque sim-

ſimplicitatem amo,& ſatis eſſe puto, ſi lixiuio maiorana atque roſæ rubræ imponantur. Sudare etiam in lecto matutinis horis maxime iuuat,& facilime prodibit ſudor, ſi tua præſtantia aliquid de ſucco cardui ſumpſerit. Hæc nunc inter occupationes varias potui monere, vbi plus vacui temporis habuero, meo me officio in cæteris non defuturum polliceor.

IOHAN. CRATO.

A KRAFTHEIM,&c.

CONSILIVM III.

In obtuſione ſeu hebetudine oculorum pro quodam Iureconſulto ſene.

AFFECTIONEM de qua conqueritur tua excellentia, Græcè ἀμβλυωπίαν, Latini obtuſionem,ſeu hebetudinem viſus appellăt. Ea ſenibus propter tres cauſas familiaris eſt; primo, quia illorum ſpiritus paucus& craſſus: ſecundo, quia mēbranæ oculorum craſſiores & denſiores: tertio,quod eorum oculi multo uſu defatigati, facile fluxiones ſuſcipiunt. Cæterum etſi vero de his dicatur Poetæ illud:

Quod natura negat, reddere nemo potest: tamen diligentia quædam profici potest, ne malũ inualescat, & obscuritas seu obfuscatio atque cæcitas inducantur. Vt vero plane seniores hebetudine liberentur, ne annitendum quidem est. Nam quemadmodum vngues senescentium crassiores fiunt: ita & membranas densiores fieri necesse est. De spirituum vero diminutione res est manifesta. In curatione Græci vtuntur missione sanguinis, & primo quidem venam humeralem aperiunt, deinde eam secant, quæ in fronte est, tertio angulares, sed in hoc casu atque hac ætate sectionem venæ non consulo. Scarificationes non improbo; imo vtendum iis censeo. A purgationibus immodicis, atq; intempestiuis plane abstinendum. Vt aluus permaneat fluida, opera danda erit, & vtendum victu conuenienti, somno moderato, minimeque diurno; vehemẽtior motus, lectio & scriptio post cibum vitanda. Item ira, indignationes, curæ pertinaces, balnei frequens vsus, & veneris. His ita obseruatis, curationis iste modus est tenendus; Primum vtendum est

eſt purgatione aliqua bis in anno, & præcipue verno tempore, atque ſub initium autumni. Ac medicamentis omnibus hic præfero dilutum ſenæ, quod vt Meſues & Serapion teſtantur, vtramque bilem, &, vt Actuarius ait ac experientia comprobat, pituitam vacuat, cerebrum, omnesque ſenſus corporis expurgat, & cor, iecur, & lienem roborat, ſeniumque, vt affirmãt, retardat. Etſi autem Meſues nonnihil ventriculo obeſſe dicat: tamen & ratio & experientia teſtantur, ſenam ventriculum roborare potius, quam imbecillum reddere, ſiquidem guſtu in illis aſtrictio atque amaritudo aliqua percipitur, quæ qualitates roborando magis, quam infirmando ventriculo ſunt. Neq; enim vllum audivi; qui ex vſu diluti ſenæ ſe ex ventriculo laboraſſe affirmaret. Quod vero pituitoſos atq; mulieres interdũ laborioſe ſoluit, & tormina excitat, illud nõ medicamento, ſed humoribus atque excrementis, quę ſua craſſitie inteſtinorum meatus replent, aſcribendũ eſt. Atq; hæc ideo cõmemoraui prolixius, quia quoſdam eſſe ſcio, qui non ſolum vſum ſenæ;

ſed me quoque interdum propter hanc ſententiam,in qua doctiſſimos mecũ eſſe ſcio, vituperant. Interdum autem pro ratione & diſpoſitione temporis atque corporis mirobalanos,agaricum,vel rhabarbarum addendum cenſeo; atque hac in re Medico nihil præſcribo. Diverſio recta atque vtilis eſt ſcapulis aut partibus ſupremis brachiorum cucurbitulis affixis,licet veteres occipitiũ nominent. Ac hic locum habent cauteria, ſi illorum eſſet vſus. Cæterum euacuato corpore,& factis diverſionibus, recte ea quæ naribus infunduntur adhibemus. Atque ad hanc intentionẽ valebit ſuccus betæ ac maioranæ expreſſus, cum pulveribus melanthii, quam nigellam vocant. Et mirifice quidam commendant vſum eufragiæ, vt videre eſt in Arnoldo, qui ſenem cæcum propemodũ vſu vini in quo eufragia fuit macerata, reſtitutum affirmat. Porro ita quoque eius vſus eſt ad diverſionem materiæ & viſus roborationem. Sumatur eufragia exiccata, & redigatur in cinerem, ſuperinfundaturq; aqua eufragiæ, & fiat lixiuium, quo occipitium ſingulis diebus

poſt

post somnum lauetur. Vtile quoque est lauare oculos eiusdem herbæ aqua, vt est in collyrio ad literã A descripto. Sed mẽbranis densatis, & crassefactis magis prodest collyrium ad litteram B. habeoq; de eo certam experientiam. Vt roborentur incrassati spiritus, producit vsus electuarii ad litteram C. descripti. Accipiet autem singulis diebus mane, eloto prius ore decocto guaiaci atque eufragiæ, ad magnitudinem iuglandis. Interdum eius loco præsertim in hyeme, confectione, quam manus Christi vocant, cum oleo feniculi. Habes vir clarissime meam de conservatione visus sententiam, quam cum scripserim in summis molestiis, boni consules extemporalitatem.

A. ℞. Aq. Eufragiæ;
è floribus cyani, simul vel seorsim destillatar. ℔ j.
Sacchar. cand. calc. ℥j. Misc.

B. ℞. Eufragiæ,
Rutæ,
Chelidon. maior.
Verbenæ,
Betonic. an. m. j.

Sem. fenicul.
sileris montan. an ℥ ß.
Rad. calam. aromatic. ʒ vi.
Absinthii hortensis m. ß.
Fl. cyani.
Rosar. an. m. i. ß.
Thuris,
Aloës,
Myrrhæ an. ʒ ii.
Aq. rosat. ℔. ii.
Vini maluatic.
Aq. rutæ a. ℔. i.
Vrinæ pueri ℔ ß.

Infundantur omnia per dies quinq;, postea lege artis destillantur in vase vitreo, ac destillatum vitro bene cooperto seruetur vsui.

C. ℞ Conser. Eufragiæ ℥ i. ß.
Carnis myrabol. Embl. cond.
Chebul. an ℥ ß
Macis incis. ℈ i.
Lig. aloes ʒ ß.
Misc. f. electuarium.

Aliud electuarium ad eandem intentionem, quod in simili casu Iacobus Foroliuiensis præscripsit Ioh. Papæ, an. 1400.

℞ Fe-

Digitized by Google

℞ Fenicul. ℥ III.
Sileris montan.
Piperis,
Zinziberis,
Cinnamom.
Pulegii,
Hissopi,
Aneth.
Gran.iuniperi,
Fl.anthos.
Saxifragiæ an.℥II.
Chamædr.
Rad.chelidon,
Cimin.
Apii,
Anisi,
Petroselin.an.℥I.

Puluerisentur omnia,&cum sufficienti quãtitate mellis vel sacchari f. electuariũ

Hoc ideo adscripsi, quia autor vetus est,&mirifice illius vsus à quibusdam prædicatur.

D.Montanus,præceptor meus, ad eãdem intentionem cuidam præstanti viro hunc syrupum præscripsit:

℞ Succi verbenæ,

Eufragiæ,
Roſar.
Fenicul.
Rutæ,
Chelidon.an ℥ iii.

Purificentur ſecundum artem,& deinde cum ſaccharo f.ſyrudus, & aromatiſetur muſco.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM IV.

In tenebricoſa affectione oculorum, amiſſione odoratus ex catarrho deſcendente ad nares,& guſtus etiam diminutione,pro nobili quodam viro.

SYMPTOMATA quæ recitantur hæc ſunt: Tenebricoſa affectio, ita vt oculi quaſi nebula obduci videantur, amiſſio odoratus ex catarrho deſcendente ad nares,& guſtatus etiam diminutio. Cauſæ procatarcticæ cenſentur; decennii labor aſſiduus,in quo cerebrũ curis & multarũ atq; variarum rerum curatione eſt obrutum, plurimæ lectiones & ſcriptiones:his acceſſit frequens vſus veneris. Poſtrema autem

autem causa, quæ affertur, vna satis esse posset ad inducendum morbum, videlicet, cerebri intemperiem, quæ symptomatum causa est. Fuisse vero à prima cõstitutione cerebrum calidum & siccum, pili crassi, densi, & crispi, sensuum acrimonia, & excremẽtorum paucitas ostendunt. Nam etiamsi interdum facies in iuuentute intumuit, illud ratione victus, & caliditate cerebri trahente ad se nimiam vaporum copiam factum est. Cum vero im̃oderata venere lectionibus, scriptionibus, & continuis tot annorum occupationib. calor sit exhaustus, excrementorum copia aucta, ita vt pro spiritibus vapores generentur, non mirum sit illa spirituum crassities, visum quasi obnubilet. Deinde cum vapores consumi nequeãt, in materiam catarrhi resolvi atque ad nares & palatum descendere, obstructiones facere, atque olfactum adimere, gustatum hebetare, nihil mirum. Hæc cum ita sint, & curatio, causæ sublatio perhibeatur, curandi indicationes satis sunt euidentes. Verum quam in difficili res sit posita, omnes Medici intelligunt, qui

ſciunt nullius partis principis, maxime vero cerebri per ſe iam affecti, morbum facile poſſe tolli, preſertim cũ proceſſit malum, & diuturnitate ſua in prauum quaſi habitum degenerauit. Itaque reductio illius quod ab integritate ſua hoc modo prolapſum eſt, niſi æger ſe valde prudentem & diligentem ipſe præſtet plane difficilis videtur. Quam vero in iſta vita, neque occupationibus moderari, neque à venere ſe continere (vt nihil de aere, & victus ratione quam exactiſſimam eſſe, ſi quid ex medicamẽtorum vſu ſperãdum, oporteret, dicam) non ſit facile, Nobiliſſimus Dominus per ſe intelligit. Itaq; vt eam aeris intemperiem, quæ cerebrum humiditate excrementitia repleat, & frigiditatem augeat, omnibus modis fugiat, & in victu ab omnibus cibis, qui caput vaporibus replent, ſibi caueat, neceſſe eſt. Multa ac potius plurima ab his poſſem monere, ſed cum nunquam non præſentes Medicos habeat, pauca ſubijciam. Primũ omnis exceſſus aeris in calidum, frigidum & humidum vitãdus, vel arte corrigendus eſt. Maxime vero humidus, ad

quam intentionem in primis suffumigia ex styrace, benzoino, seu asa dulci, & caryophyllis probantur. Vehementer odorata etsi siccent, resoluunt tamen interdum nimium sua caliditate & materiam præcipitant: Succini odor meo iudicio non inconueniens esset, si tamen non sola intemperies cerebri, sed obstructio in meatibus olfactoriis, qui Græcis ἠθμοειδεῖς appellãtur, esset, alia curatio adhibenda, de qua deinceps videbimus. Nunc enim de iis quæ cerebri intemperiem aliquo modo corrigãt, & cum ad naturalem statũ reduci nequeat, majori prolapsui obstent, agere propositum est. Victus igitur ratio ea esse debet, quæ caput minime repleat. Nã vt nulli vapores ascendant, cum caput per se, quemadmodum Hippocrates ait, tanquam cucurbita imposita eis trahat & excipiat, atq; iis cerebrum imbuat, impossibile est. Vitet igitur fumosa, vt lacticinia, cruda omnia, frequentem vsum piscium, maxime cancrorum, olerũ, leguminum, fumo maceratorum, in sartagine coctorum, ouorum cum butyro, & similium. Vinum sit maturum, tenue

tamen,& quod non multos vapores ſuppeditet. A cibo non dormiat , & à cœna prius non , quã tribus horis exactis cubitum eat.In nocturno tamen aere,præſertim denudato capite non verſetur, nec apertis feneſtris dormiat. In vſu venereorum,quãtum poteſt(poterit a. quantum volet)ſibi temperet, cùm fontem horum malorum de quibus conqueritur ipſe nimiam venerem eſſe fateatur, & rationes atq; authoritates hoc demonſtrant. Rationum declaratio longior eſſet futura, authoritas Ariſtotelis ſit pro multis; qui ex coitu caput refrigerari,&oculos exiccari affirmat. Euacuantur enim ſpiritus qui ad actiones ſenſuum requiruntur, iis exhauſtis frigiditas,denſitas,&hebetudo conſequitur. Sed de his non libet plura ſcribere.Meminerit Dominus fugiendo potius,quàm pugnando& contendendo hoc genus affectionũ ſuperari. Cæterum eum in coniugio prorſus prohiberi nequeat,conſulo ne vacuo,nec repleto corpore ea vtatur,atq; ideo vel ante cœnam, vel diluculo , ita vt brevis ſomnus conſequatur,quemadmodum iam antea in eo

conſilio,

consilio, quod olim de sanitate tuẽda scripsi, à me admonitus est. In quo cũ de cæterarum sex rerum nõ naturalium commoderatione prolixe ante XXIII. annos monuerim, hic non repetenda existimo. Ac nisi nobilissimus Dominus monitorum fuisset interdum oblitus, his supersedere possimus. Cum autem hæc obfuscatio, de qua dominus conqueritur, nõ modo sit à paucitate spirituum, verum, vt ego iudico, propter vaporum admistorum copiam & crassitiem; magna cura adhibenda, vt iis quæ spirituum copiam & bonitatem suppeditant, & crassitiem corrigant, vtatur. Ad hanc intentionem nuper præscripsi electuarium, cujus vsus erit efficacia, si in cibo quoque & potu ea, quæ ad spirituum regeneratione & claritatem faciunt, adhibita fuerint. Commendantur autem pręcipue oua sorbilia, cum saccharo & cinnamomo. Deinde vinũ maturum, & carniũ, quæ minime sunt excrementitiæ, vsus. Si vero excrementorum in corpore collectorum copia obstet, quo minus medicamenta vel alimenta bonũ sanguinem & spiritus laudabiles produ-

cere possint, non dubium est, quin primo omnium ea sint subducenda. Id vero non aliis medicamentis, quam quæ tutissime humores removent, minime magnas & graves alterationes faciunt, nec corpus resoluunt, neque humidum natiuum exhauriunt, faciendum. Myrobalanorum conditorum vsum, præsertim emblicorum & chebulorum scio commendari, & ego Nobilissimum dominũ his in æstate, illis hyeme cum pauco zinzibere condito, vti velim, sed vere, hyeme & autumno catapotiis istis catarrhus magis tolli & cerebrum roborari posset.

℞. Aloes optimæ, decies succo rosarũ imbutæ ℥ I. & bis succo fenicul. in quo folia senæ selectissima fuerint macerata. Huic add.

Rhabarb. subtiliter pul. & aqua cinnamomi aspersi ʒ II.

Agatic. rec. trochiscat. ʒ. I.

Mastich. pulu. ʒß.

Cum syr. rosato solut. f. massa, de qua reformãtur pro ʒ I. pillulæ nouem.

Sumat autem de iis nouem, horis tribus ante prandium, idque cum non æstus ni-

mius obſtat, in menſe ſemel vel bis. In hyeme vero cum deglutiet, eo die, atq; in ſequenti ſe domi continebit, & à refrigeratione pedum diligentiſſime ſibi cauebit. nihil enim catarrhoſis ea nocentius. Aliis medicamentis purgãtibus dominũ plane vti nolim. Cum vero duo generalia auxilia, & vniuerſum corpus alterantia, propoſita ſint, videlicet, thermæ & guaiaci decoctum: de iis quid ſentiam, paucis aperiam. Quod ad thermas attinet, cum non tam per conſenſum, quam intemperiem inductã in cerebro ſymptomata iſta, de quibus dominus conqueritur, accedant, non video quomodo prodeſſe lotione poſſint. Caput enim non tam per conſenſum, quam primario affectu laborat. Ac licet ſit fortaſſe aliquis cenſenſus, tamen thermæ diuertere tantum vapores impetentes, non intemperiem, niſi per Ducciam, (ita enim vulgo ſtillicidium ſeu embrochas, vel aſperſiones vocant) corrigere poſſunt. Tales autẽ thermas & actu & potentia calidas eſſe oportet, vt materiam diſcutere & temperiem corrigendo, robur parti addere

possint. Cumque affectus sit totius capitis,&iam tria sensuum organa, visus, odoratus,& gustatus afficiat: catarrhi etiam omnes toti capiti communes sint, necesse erit vt bregmati, vbi suturæ coeunt, & cranium est rarius, faciliorque penetratio, aqua instilletur. Quod ad caliditatem attinet, in primis commendantur thermæ sulphureæ. Quod ad penetrationẽ, nitrosæ. Si itaque bene temperatæ ex vtraq; minera thermæ essent, possent fortasse prodesse. Et fortasse scribo, quia nihil explorati in tali affectione de vsu thermarum habeo. De guaiaci autem decocto, cum epar sit satis calidum, ventriculus vero propter veneris frequentiorẽ vsum debilior, affirmare ausim, non solum nihil adiumenti allaturum, verum fortasse eam intemperiem vniuerso corpori inducturũ, quæ quauis affectione alia periculosior sit. Ac sæpe credulitas ne ægrorum magis, an temeraria stoliditas atque audacia Medicorum accusanda sit cogito, dum omnes morbos potionibus istis exstirpari posse arbitrantur. Sed de his nihil attinet scribere. Illud tantum affirmo, nisi

mo, nisi eiusmodi affectiones à morbo gallico deueniant, non modo nihil decoctum vel ligni vel sarsæ prodesse, verum ea incommoda valetudinis interdum afferre, quæ ad extremum spiritum vsque grauia sunt. Existimo autem recte Nobilissimum Dominum, nisi consuetudo aliud suadeat, vsurum lotionibus capitis arte præparatis. Nam hæ plus caput iuuant, & minori periculo adhibentur, quam thermæ. Sunt quidam in ea sententia, lotionibus frequentibus caput debilitari. Ea vna est, de firmo capite, & non assueto ad lotiones: de infirmo autem & sordes expurgare consueto, minime verum: Lauãdum vero est æstivis temporibus mane, nisi sit humidior & frigidior aura. Hybernis ante cœnã, ita vt se deinceps domi cõtineat, & si nõ bis saltem semel in septimana, eodemque die pedes quoque abluendi, & bene, sed minime fortiter atque calide, verum leuibus linteolis caput extergendum. Lixiuium sit temperatũ, nec valde acre, in quo maiorana, & nõnihil rosarum decoquantur. Sapo parum à simplice differre debet, atq; hoc modo præparandus.

℞ Saponis in aq. rosar. ad solem dissolut. ℔ 1.
Ireos puluerisat. ℥ 1. ß.
Santal, citrini ℥ ß.
Garyophillo. ʒ 1.
Macis ℈ 1.
Misc. f. Glob. hybernis diebus aliquot grana moschi addi possunt.

Scio de lotionib. capitis varias esse disputationes, sicut de prandio & cœna inter Medicos, sed omnia referenda & moderanda sunt ad tolerantiam, vel consuetudinem eorum, de quibus agitur, nec generaliter de his pronunciãdum. Guaiaco plurima possent substitui, quæ magis ad siccandum catarrhum, & roborandũ caput faciunt, quam potiones istæ licet iis interdum aliqui, non tam propter earum vsum, quam ob multorum dierum in victu continentiam, iuuentur. Sed dum quid electuarium, cuius descriptionem nuper mihi prodesse videatur intelligam, alia remedia non præscribam. Tantũ hoc moneo, vt nonnunquam ad quantitatem auellanæ, cum catarrhus nimis molestus est, nec cælum calet, hora decubitus, de

sequenti

sequenti electuario deglutiat.

℞ Conser. rosarum ℥ vi.
Thuris albiss. ℈ ii.
Sy. aromatic. rosat. ℈ i.
Nucis conditæ ℈ ß. Misc.

Nucis etiam muscatæ obuolutæ pane & tostæ cineribus, & in exiguas quasi testulas sectæ particulam in ore detineat. Quod ad symptomatum curationem attinet, etsi sublata causa per se aboleantur & cessent, tamen cum neque intemperies cerebri plane tolli, neq; catarrhus omnino adimi huic corpori possit, & fortasse etiã instrumẽta olfactus ita sunt affecta, vt ad suam integritatem redire nequeant, & nihil, licet parvũ, & cuius iactura non magna videatur, negligendum. Potuit igitur naribus immitti butyrum recens cum aqua maioranæ dissolutum, & deinceps suffumigium fieri ex decocto nigellæ in vino tenui subacido. Ruta etiã contusa & aceto imbuta naribus sæpe adhibenda. Possem alia præscribere remedia, si de modo læsionis mihi constaret. Hoc quidem satis certus sum, ex anteriorum cerebri ventriculorum læsione, olfactum

adimi,ſed an hæc ſit intemperies ſola; an vero materia, & ea meatus colatorios obſtruens nequeo ſtatuere. Si eſt obſtructio (vt arbitror) opera danda ne propter eam ſpiritus animalis, qui in ventriculis cerebri continetur, aliquid detrimenti accipiat,& intemperies cerebri augeatur. Itaque ad obſtructionem præcipue remedia præſcripta ſunt directa: prius tamen præmiſſis iis, quibus corpus atque caput expurgatur. Quod vſum pillularum præſcriptarum pręſtare poſſe confido. Ad guſtatum nihil conuenientius, quam ſi ante cœnam raphanum ſale conditum maſticet,& ſubſtantiam ipſam exhauſto ſucco abiiciat, deinceps os vino eluat. Hæc potui nunc colligere & monere, quibus ſi non voluntati meæ,vel veſtræ fidei tamē eſt ſatisfactum. Vt autē à præpotēti DEO, autore ſanitatis atq; ſalutis noſtræ fortunentur benigne, toto pectore precor. Scriptum anno 1574.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CON-

CONSILIVM V.

In debilitate oculorum, & auditus grauitate, pro quodam illustri viro.

SENSUM videndi in senibus minui familiare symptoma est, vel à spiritibus diminutis, vel instrumento, id est, membranis oculorum affectis, proveniens. Vtrumque in senectæ ætate accidere non mirum. Spiritibus nihil magis quam conueniens & recta victus ratio auxiliatur. Illud autem vinum maxime commendatur, in quod feruẽte musto flores eufragiæ coniecti sunt. Multi in puluerũ quorundam & electuariorum vsu spem ponunt; qua tamen sæpe frustrantur. Commẽdatur electuarium Papæ innocentis, quod ego quoque prodesse comperi. Sed illustri Domino hac ætate suadere nolim, cum valde exiccet. Malim vti hoc puluere ℞ Fl. violar. siccarum, puluerisentur folia, & ad partem vnam huius pulueris addatur pars dimidia florum euphragiæ, vna foliorum betonicæ, sacchari ad pondus omnium. Hic pulvis cum butyro misceatur, & capiat ante cibum. Non mo-

do capiti proderit, verum etiam aluum humectabit. Nam qui non prorſus aſtricta ſunt aluo; hos ſolus puluis violarũ ſoluit. Si in membranis appareret vitium, vtiliſſimum eſſet feniculi cannam deciſam ſupra radicem, implere pulueribus ſacchari candidi, atque ſuccum colligere eumque cum molli linteolo vel ſpõgia oculis adhibere. Ovi quoque album recens aſſatum, ſaccharo candido impletũ, cum diſſoluatur in liquorem, plurimum prodeſt. De lacrymis illuſtris Dominus non eſt queſtus. Multum autem confert ſuccus grani parnaſij ex herba, quam **Heiden-korn** appellãt, viridi expreſſus. Item aqua tormentillę in vitro probe deſtillata. Poſſem plura recitare remedia, ſed hæc pauca, ſi quid à medicina eſt adiumẽti, haud dubie aliquid præſtare poſſunt. Ad auditus grauitatem commendatur in primis balſamum purum orientale, ſi intincta bõbace auribus imponatur. Ego aquam cardui recte deſtillatam balſamo præfero. Ad Melancholicos fumos corrigendos haud dubie ea proderunt; quæ prius præſcripſi: inprimis vero emplaſtrum.

Huius

Huius continuo usu duos laborantes melancholia hypochondriaca hoc anno adiutos comperi. Radicis Mechoacan vsum non improbo: minus tamen frequentem esse velim: cum certum sit ex vsu frequẽtiori aluum plurimum siccari. In potu etiam atque etiam ventriculi habenda est ratio. Non dubito quin hordeacea magis placeat: sed capiti profecto minus prodesit. Ego Ortrancensem, quam habet elector, omnib. aliis, & præsertim iis, quas tu numeras, Torgensi, Friburgensi, Tschepposi præfero. Triticeam, quæ nõ sit plane tenuis, nec multũ habeat lupuli, præsertim crudi, longe salubriorem, quam hordeaceam statuo. Hæc nunc monere potui: si certiora ad me perscribentur, Illustri Domino, quo ad vixero, non defuturus sum. Anno 1580.

IOHAN. CRATO.

A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM VI.

Ad gingiuas tabescentes, pro quodam nobili viro.

GINGIVARUM Carnes diſcedere, & dentes iis denudari, vir præſtãs conqueritur. Re bene cõſiderata hoc ſtatuo, gingiuarum carnem diſcedere, neq; renaſci; vel quod in oſſe dentium aliqua eſt intemperies, quæ carnem agglutinari nõ ſinat; vel in ipſa gingiuarum carne, propter affluxum materiæ acris, & gignendæ carnis non ſatis conuenientis. Huic malo ſit arte medẽdum, totius corporis, & præſertim capitis intemperies vitanda, & recta victus ratione, ſine qua omnis labor, ſiue intemperies in toto, ſiue in parte corrigenda ſit inutilis & ſuperuacaneus, vtẽdum. De victus ratione eum monere, qui hanc non poſſit tenere, quid attinet? Illud moneo vt ſimpliciſſimo victu vtatur, & ea quæ in dentibus & in ginguis intemperiẽ relinquũt; vt acida, ſalſa raphanum, dulcia etiam, & lacticinia remoueat. Interdum & corpus expurgandum catapotiis maſtichinis, vel iis, quæ de ſuccino appellamus, de his ſumatur ad drachmam vnam. Cæterum quod ad dentes attinet, ſi in ipſis oſſibus putredo eſt, vix vlla res melior eſt, quam oleum vitrioli: ſi oſſa

ſunt

ſunt valida & robuſta (vt eſſe arbitror) caput lotionibus ex roriſmarini herbę cinere lixiuio facto, aut herba in lixiuio cocta, ſæpe ante cœnam, nec aerem nocturnum ſubeat, lauabit. Crepuſcula, vt fluxionibus iſtis valde noxia, vitabit. Dentes ſæpe abluantur decocto ligni guaiaci, & maxime ſumpto cibo. Item decocto corticum alborum quercus, corticũ berberis, vel ſolarum plantaginis. Inprimis vero proderit (niſi ſenili ariditate caro dentium decedat, quod quidem in præſtantiſſimo viro non verendum) ſi ex puluere teſtarum oui in cineres crematarum carnem gingiuarum fricet, & vel decocto rubi aut roriſmarini abluat, & iſto electuario quotidie inungat.

℞ Puluer. ireos.
Rad. fragor.
Roriſmarin. an. ℥ I.
Sanguinis dracon. ℥ I. ß.
Garyophyll.
Corallor. rubeor. an. ℥ ß.
Maſtich. ℈ I.
Roſar. rubrar.
Alumin. vſti an. ℈ ß.

Ista puluerisentur, & aspergantur aqua rosarum, deinde oxymellite scillitico ad iustam spissitudinem redigantur. Si loco oxymellitis sumatur succus rubi, vel berberis & deinceps aqua, quæ à vite destillat, abluatur, conuenientissimum erit: decoctum etiam foliorũ pruni, si reliqua desint, conducit. Sequitur descriptio pillularum de succino, quarum superius mentio facta est.

℞ Succin.
Mastich. an. ℥ ß.
Aloës ʒ x.
Agaric. ʒ III.
Aristoloch. veræ ʒ I.
Misc. & cum syr. de betonica f. massa.

IOHAN. CRATO.
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM VII.

In asthmate.

S. LEGI tuas literas, Excellentissime Domine Doctor: sed cum ad bellum Vngaricum iam accingar, secuturus Serenissimum principem meum, & alia permulta ne-

ta negotia ac impedimenta, me totum occupant, adeo vt nihil otii quietisq; reliquum sit, iis respondere non possum, nec de morbo Magnifici Domini meam explicare sententiam: verum ne omnino vacuis manib. redeat ad vos tabellarius, hasce infra scriptas receptas mittere volui, quæ si domino Doctori, qui curã suæ magnificentiæ agit, probabuntur, iis secure vti magnificus Dominus poterit.

℞ Pillular. de agarico Mes. ℥ß.
Sulphur. triti ℈ß.
Gummi ammoniac. el. ℈ i.

Cum aq. tussilagin. f. pillulæ n. novem, & deuorentur mane horis quinque ante cibum, & die sequenti fiant hæc, quæ sequuntur.

℞ Gallum antiquum, trium aut quatuor annorum, & cum virgis flagelletur, & irritetur, sed tamen leviter, ne occidatur, & dein decoletur, & immadefactus deplumetur, demum à visceribus mundatus infarciatur, prius vino ablutus, infra scriptis medicamentis.

℞ Sem. carthami ℥ i.
anisi,

anethia. ʒ II.
Rad. enulæ,
liquirit.a.ʒ VI.
polypodii ʒ X.
Passular. ʒ VI..
Ficuum ping.n.VI.
Tussilag.
Marrubii,
Hyssopi an,ʒ.III.
Tartari alb.ʒ III.ß.
Agaric.cand.ʒ I.ß.

Cōtundantur omnia hæc crassiuscule, & in ventrem ipsius galli intromittantur, & suatur locus ne exire possint, & deinde coquatur gallus in libris quadraginta aquæ, quousque caro ab ossibus separetur, & deinde facta galli forti excressione, caro eius & ossa proiiciantur, & decoctum per linteolum coletur, & aeri exponatur, permittaturque ad aerem quousque faciat residentiam, & deinde quod clarum est per se asseruetur.

℞ prædicti iuris clari ℥ VI.
oxymell.scillitic. ℥ß.
Pulmon. vulpis subtiliter tusi ʒ ß.
Misc.f.haustus, sumendus mane calidus, horis

horis quinq; ante cibũ, & ita sumat hunc potum octo diebus cõtinuis. Dum sumit Mãgnificus dominus hunc potum, fiat quotidie vesperi horis duabus ante cœnam clyster infra scriptus.

℞ Iuris galli præscripti turbidi ℔ I.
Hieræ simpl. Gal. ʒ VI.
Agaric. præparat. ʒ II.
Ol. anethini ℥ II.
Vitell. oui n. I.
Salis ʒ I.
Sach. rubri ℥ I. Misc. f. clyster.

His factis si morbus adhuc perseuerabit, sumat alternis diebus hoc alterum medicamentum, quod.

℞ sulphur. viui in aq. tussilag. infus. prius, & in tenuiss. pulu. triti ℈ I.
Terebinthin. lotæ in aq. tussilag.
Mellis despumat. an ℥ ß.

Misc. & f. bolus, & sumatur, vt prædictum est. Plura quam hæc scribere non licuit ob temporis penuriam. Vale.

IOHAN. NEFIVS AVGVSTI
ELECTORIS MEDICVS. &c.

CONSILIVM VIII.

In affectu ventriculi pro quadam illustri persona.

Germanico idiomate scriptum, ac in thermas Laudecenses missum, an. 1579. m. Iulio.

ILLVSTRISSIME Princeps, Domine clementissime, mitto consilium, quod à me postulauit Celsitudo Vestra, ac si plenius de valetudine ipsius intellexero, dabo operã vt intelligat Celsitudo Vestra, non minus fideliter me ipsi, quam Cæsareæ Maiestati cupere in hoc & in aliis, quantum in me quidem fuerit, libentissime gratificari. Præcipuum malum, vt animadverto, est, pituita in ventriculo generata, à qua vomitus irritatur, & cruditas. Quamuis autem ad id prodest vomitus, quod eo ipso pituita, quæ calorem naturalem extinguit, & ventriculum afficit, eiicitur, est tamen motus præter naturã, & satius esset abesse. Id curari à Medico aliter non potest, nisi vt det operam, ne pituita eiusmodi in corpore colligatur. Fiet autem dupliciter. Primum, si calor naturalis roboretur, secundo, si omnia vitentur, è quibus pituita facile generatur. Ita duæ indicationes totius curationis funda-

fundamētum sunt. Ac de primo quidem ita lentio, fieri vix posse, vt calor naturalis ex toto reducatur, qui hoc toto tempore erratis etiam in victu multiplicibus tantopere debilitatus est. Opera autem danda, vt reliquiæ conseruentur caloris, eiusque humidum, iis modis non subtrahatur, quibus lasciua adolescentia solet. Nam absumpto hoc humido naturæ, augetur superfluitas præter naturam, & in vniuersum abolet calorem, inde non modo morbi, sed ipsa etiam mors necessario sequitur. Fateor autem thermas roborando calori vtiles esse, sed in vsu earum dupliciter peccatur. Primū, quod hæ aquæ stomachum affligunt. Deinde quod raro ea obseruentur in cibo, potu, somno, quæ obseruare maxime fuerat necessarium. Ideo Medicus vnguentis & oleis bene muniat ventriculum, quoties lauandum est: præterea omnis intemperātia cauenda est in victu omni, ne vel copia, vel varietate peccetur. Removenda cruda, & nimium humida, pisces, potus à cibo, maxime vero à cœna, item somnus à meridie, nisi natura ei admodum assueuerit,

vt poſſit ſine offenſione in ſella ſedẽs paululum obdormire. Si ſecus fit, neq; thermæ, neq; medicamenta efficaciam ſuam poſſunt oſtendere. Ad roborationem autem caloris naturalis duo remedia nunc Celſitudini veſtræ præſcribam, puluerem & electuarium, quæ ſumat mane.

℞ Sachar. albiſſ. ℔. I.
ambræ gryſ. opt. ʒ. I.
ſuccini albi ℈ I.
Miſc. f. puluis.

Sumat in ouo ſorbili quantum exiguo cochleari aromatico excipi poteſt. Electuarium eſt eiuſmodi.

℞ Conſer. roſar. ſi haberi poſſunt, Damaſc. ℔ I.
Syr. aromatic. roſat. ℥ ß.
Garyophyll. inciſ. ʒ III.
Ambræ gryſ. opt. ℈ ß.
Miſc. & f. electuarium.

Vtatur Celſitudo eius mane magnitudine iuglandis, & vngat ventriculũ unguento ſequenti, & imponatur pannus ſexies complicatus attritus iam aliquatenus & mollis, & tota die ac nocte ita obſeruet. Quantum proſint hæc remedia ad ventriculi

triculi & caloris robur paulo post re ipsa intelliget celsitudo vestra.

℞ Ol. nostri stomachal. ℥ iij.
nucis conditæ ʒ j.
Mastich. pulu. ℈ ij.
Ladani puriss. ʒ i.
Ceræ parum.
Misc. f. linimentum.

Sed continuatione opus est, & vitanda omnia fortia calida destillata, aquæ vitæ & similia, quæ videntur quidem prodesse, sed vitam abbreviant, cum multum superent gradum natiui caloris, auxilia vero in mediocritate posita esse debeant. Altera intentio seu scopus est, vt pituita aut vitetur, aut mature educatur: ortus pituitæ in eo consistit, vt victus ratio sit conueniens, quæ cum Medicum præsentem habeat celsitudo vestra, præscribi nõ debet. Vnum hoc monebo, vt semper facio. Qui bonam victus rationem tenere nequeunt, iis optimam medicinam præscribere superuacaneum est. Diæta autem tota sit directa ad cruditates vitandas. Quod ad euacuationem attinet, etsi sola cocta expurgari debent, quod in hoc corpore spe-

rari vix poteſt, habet tamen hic aphoriſmus multas exceptiones. Neque eò vllo modo electiue purgantium uſum ſuadeo, ſed malo ſimpliciſſima vſurpari, vt ſunt aloe roſata; maſtichinæ pillulæ, & ſimilia ante cœnam. Quia autem celſitudini veſtræ nullum vnquã medicamentum purgans præſcripſi, neque in hoc naturã eius probe cognitam habeo, ne nunc quidem aliquod præponere audeo, niſi prius cum Medico, cui natura eius cognita eſt rectius, certius exploravero & conſultauero. Nam ne leuia quidem medicamenta in affecto & languente ſtomacho, maxime vero in iam ſeneſcentibus carent periculo. Aloe roſata cum tanta copia pituitoſi humoris abũdet, perinde vt & pillulæ Maſtichinæ tuto adhiberi poſſunt. De arenulis, aut renum calculo aliquid ſigni eſt in promptu. inprimis ex vomitu, & dolore laterum, ſed certi nihil ſtatui poteſt. Vrina enim ad me miſſa iam corrupta fuerat, & linteola in vtrumque vtrum inciderant, tota autem cruda fuit, propterea ſi meum conſilium de arena & calculo expetitur peculiariter, copioſius de

de quibusdam edoceri velim. Nā tantum facit recte Medicus in legitima curatione morbi, quantum intelligit. Quod si temere agit, quicquid fit, casu euenit, quem nisi Deus gubernat, incommoda grauia consequi necesse est. Propterea principes, & in quorum incolumitate multum positum est rebus publicis, sibi accurate cauendum sciant ab imperitis, audacibus, & arrogantibus thrasonibus, qui sua immodice prædicant. Omnipotens DEVS vestram celsitudinem ad salutem totius prouinciæ, cui multū sua sapientia & autoritate hactenus profuit, quam diutissimè saluā & incolumem conseruet, & hoc meum consilium fortunet.

IOHAN. CRATO.
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM IX.

In eodem affectu, pro eadem persona.

NIHIL aliud possum de hoc affectu scribere, quam quod antea scripsi, neque eloquentia, aut verbis, sed remediis sanantur morbi tempestiue adhibi- Germanicè scriptum, anno 1580. 3 Maii.

ris. Ea autem rectius à seipso petet, quàm ab vllo Medico celsitudo vestra, si videlicet rectam victus rationem, quæ secundum Hippocratem, tutissima medicina est, sibi imperauerit. Itaque si sanitatem desiderat, se consulat, & solus edat, absq; apparatu aulico: contentus sit Illustrissimus Princeps duobus ferculis elixo & asso, aliquãdiu vitet cereuisiam omnem, & vino Rhenano bono in mensa vtatur: pro intinctu vtatur pane madefacto in vino maluatico, vitet cruda & iuscula, vel non nisi ad quatuor vel quinq; cochlearia. In primo cochleari sumat quindecim grana piperis. Vesperi celsitudo vestra vix tertiam partem prandii sumat, nec à cœna bibat, maximè ante somnum. Post cibum hoc puluere peptico vtatur: vesperi autem de electuario sequenti quantitate castaneæ:

℞ Panis albi tosti ℥ iiij.
Coriand. præp. ℥ j.
Corall. rub. præb. ʒ j.
Rasinæ eboris pulu. ℥ ß.
Cinnamom. interior. ʒ ij.
Mastich. ℈ j.

Sacchar.

Sacchar, ℥ viij. Misc. f. puluis.

℞ Conser. rosar. ℥ j.

Thuris albiss. ℈ iiij.

Syr. aromat. rosat. ℈ ij.

Nucis conditæ ℈ j.

Ambræ grys. gr. iij.

Misc. & f. electuarium.

Si vomitus ingruat, intinge linteolum in aquam infrà scriptam, & accipe crustam panis, quæ ita præparetur: Sume massam siligineam, è qua panis possit fieri, adiice manipulos duos baccarum lauri contusarum, & manipulum vnum summitatum absinthii: coquatur in furno, vt in grandiores taleas possit diuidi. Vnam torre ad carbones, & impone linteolo, quod aqua ista humectetur:

℞. Spiritus vini ℔ ß. in quo macerentur,

Galang.

Calam. aromatic. incis. a. ʒ iij.

Garyophyl. ʒ j. Detur vitro.

Quamprimũ autem ea affectio ventriculi sese cõmouet, plantæ calidis pannis foueantur, & fricentur deorsum. Præter hęc, ad prę̨seruationem vtatur hoc electuario

℞ Conser.rosar.℔ I.ß.
Rasuræ eboris ℥ I.
Syr.aromatic.rosat.℥ ß.
Extract.galangæ ℈ ß.
ligni aloës ℈ I.
Garyophyll.incis.ʒ III.
Misc.cum syr.de cortic.citri, & f.electuarium.

Deinde & morsulos sequentes accipiat diebus alternis.

℞ Spec.imperial.ʒ III.
Diatrion piper.
Cardamom.a.ʒ I.
Sacch.in aq.cinamom. dissol.℥ IX.
Extract.ligni aloës ℈ß.
Ambræ gr. IV.
Ol.cinnamom.gutt.II.
Add. parum sacchar.rosat.& f.conf.in morsulis.

Ad purgationes per elescoph, turbith, & agaricum, vel pillulas cochias, siue extracta sint, siue non, suadere & consentire non possum: imo potius dissuadeo, sicut & aquas destillatas omnes, etiam cinnamomi: & si celsitudo vestra purgatione indiget, sumat drachmam semis,

vel

vel drachmam vnam integram aloës rosatæ cum ſucco ſubiecto quadrante horæ ante cœnam:

℞ Aloes roſat. ℥. i. Miſc. & f. pillulæ mediocres.

℞ Syr. è ſucco cardui ℔. ß. Extract. calam. aromatic. ℈ ß. Miſc.

Hæc habita conſultatione cum Medicis, & bene conſideratis conſiliis præſcriptis bono & ſimplici ſtudio gratificãdi Veſtræ Celſitudini ſubiicere volui. Quibus ſi obtemperauerit, non dubito quin fauente diuina gratia multum præſidii ſit inde conſecutura, quod ut fiat, ſerio & opto & precor.

IOHAN. CRATO.
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM X.

In dolore oris ventriculi.

SNon mihi hoc ſumo, clariſſimi & præſtãtiſſimi domini Doctores, vt vos in arte Medica eximie verſatos, & exercitatos docere velim, cum veſtra doctrina, & in facienda Medicina experientia, mihi

ſatis ſit comperta. Quapropter non fuiſſet opus, vt meam operam implorare debuiſſetis, ſed cum ſciam nos comunibus noſtris artis vinculis adeo iunctos, vt non deceat præſtantiis veſtris aliquid denegare, vel maximè ob prudentiſſimi Domini conſulis veſtri inſtantem imbecillitatem, quem reipublicæ veſtræ caput eſſe, ac patronum ſcribitis, aperiam vobis breuiter, quæ mihi in hoc caſu agenda videntur, tametſi non reiiciam ea, quæ à prudentiis veſtris docte ac bene ſunt acta. Caſus prudentiſſimi Domini conſulis, quantum ex literis veſtris colligere poſſum, Dolor eſt oris ventriculi, ventriculum etiam ipſum vna infeſtans. Eius vero cauſam cruditatem, partim ex mala concoctione, partim ex intemperie frigida contractam eſſe autumo, cum aliqua etiam obſtructione venarũ paruarum, quas Meſaraicas ſcholæ vocare conſueuerunt. Atque vtinam non defluerent etiam à capite deſtillationes in ſubiectum ſtomachum, ventriculumq́;, quæ à calore naturali penitus, & ab integro nõ conſumptæ in flatus vertuntur, ſed quæcumq́; tandẽ ſit

ſit cauſa, mihi dolor ille flatuoſus eſſe apparet, idque ex illo argumento, quod ſæpius, vt literæ veſtræ teſtantur, abit & redit, & maxime cum noctu poſt primum ſomnum invadat. Nam ſi ab humoribus craſſis principaliter dependeret, duraret diuitius. Præſagium etiã bonum eſſe non poteſt, propter conſenſum membrorum principalium, ſtomacho per neruos & arterias conſentientium, vt nouerunt prudentiæ veſtræ. Itaque omni diligentia laborandum eſt, vt dolor cumprimum ſedetur, cum ex maxime reſoluentibus facultatem vitalẽ dolor ſit & fætor, vt ſcribit Avicenna, & alii medici. Curatio vero huius morbi duplici intentione perficitur: Prima eſt, vt principaliter cura dirigatur ad occaſiones & paroxyſmos releuandos. Secunda, vt lenito dolore, & virtute roborata, ad cauſas procatarcticas, & etiam propinquiores tollendas curatio inſtituatur. Quod ad primã intentionẽ attinet, aluus clyſtere, flatus reſoluente, ſtatim eſt tentanda, quo facto, vomitus prouocandus erit, & maximè ſi vomere æger facilè poterit, ſin minus per os cata-

potia de hiera simplici , aut pillulæ alephanginæ dictæ, sunt exhibenda, vt venter apertus sit. Quo aperto exhibere soleo duo aut tria cochlearia sequẽtis decocti, & maxime illis, qui ventriculo frigido præditi sunt.

℞ Zedoar. el.
Galangæ opt. an. ℨ II.
Baccar. lauri ℨ I.

Incidantur, & parum contundantur, & coquantur in ℔ I. vini Rhenani albi limpidi ad consumptionem tertiæ partis: de colatura exhibeo pro vna vice duo aut tria cochlearia, vt dictũ est, singulis duabus aut tribus horis, & sæpenumero ægris in hoc casu ꝓfuit. Si vero æger valde calidi est epatis, addo aliquid aquæ cichorii. Ab extra facere soleo fomenta ex herbis & seminibus flatus carminãtibus, & ventriculum roborantibus, quæ spõgia noua, vel vesica bouina, aut sacculi vice calida ventriculo, atque etiam stomacho applicare cõsueui, quibus ademptis ipsum stomachum, cum ipso vẽtriculo, oleis & vnguentis flatus resoluentibus foueo. Nã externa remedia, quæ topica vocari solent,

lent, in hoc casu minime sunt negligenda, quoniam non parum inde auxilii sæpius senserunt ęgrotantes. Quod si nec talibus remediis sedari dolor potuit, & aluus ægrorum clausa fuit, exhibui talem bolum.

℞ Elect. de dactylis ʒ iii. ß.
Philon. Roman. ℈ ii.
Misc. & est vna dosis.

Sedat enim dolorem somnum prouocādo, & succos malos in ventriculo contentos, dolorem illum mouētes, secum educit, vt sæpius sum expertus, etiā cum commodo ægrorum, & fuit olim secretum medicamentum Ludouici de Leonibus, præceptoris mei colendissimi Bononiæ. Si vero vna cum dolore aluus respondet ægroto, & dolor nihilominus intolerabilis angit ægrotum, sequenti potione non sine fructu vsus sum.

℞ Decocti superioris ex Zedoaria & galang. facti ℥ ii. ß. vel ℥ iii.
Philon. Roman. Roman. ʒ ß.

Misc. dissoluendo, & propinetur ægro calide. Videbitis clarissimi domini Doctores, Dei auxilio, ægrū melius habiturum,

nec est quod vereamini frigiditatem opii & aliorum ingredientium. Nam emendatur caliditate aromatum. Ad intra exhibeo cõfectionem ex speciebus aromatici rosati Gabrielis, & Dianisi æquali pondere factam. Nec displicent confectiones diatrion pipereon, diagalanga, & zinziber conditum, quas exhibuerunt præstantiæ vestræ. Nam & illæ ad rem faciunt. Cerata etiam ventriculo, atque adeo eius ori appono, quæ ex emplastro de baccis lauri conficiuntur, atque ita in curatione pergo, donec sedatus dolor fuerit. Aquam etiam ex cinnamomo nostro factã quandoq; propino. Mitigato dolore ad causas morbi transeo, quæcunque sit illa. Humores si sunt in ventriculo collecti, oxymellito simplici, & melle rosato concoquo, quandoque aliquid addo serapii de absinthio, cum paucis aquis stillatitiis huic instituto congruentibus. Nec vtor syrupis multum aperientibus, cum morbi causa in ventriculo sit congesta. Si vero destillationes morbo materiam præbere videntur, addo illa, quæ destillationem in cerebro digerunt & concoquunt. Succis

ita

ita concoctis catapotia de hiera ſimplici, ſiue de aloe & maſtiche offero, aut confectionẽ diaphœniconis, cùm eius operatio ſententia Medicorum iecur non trãſcendat. A fortioribus medicamentis ſemper abſtineo, ne à remotioribus corpòris partibus ſucci in ventriculum deriuẽtur. Ad intra confectiones offero ſtomachicas, præterea & electuaria, & pulueres ventoſitates carminantes. Fomentis ſiccis & madidis ad ventriculum & os eius, perpetuo vtor. Cerota præterea cõuenientia adhibeo. Aluũ indies nunc peſſulis, nunc catapotiis præſcriptis reſero. Victus etiam rationem conuenientem inſtituo & præſcribo. Et plus vini in hoc morbi genere concedo, quam cereuiſiæ, cum ventriculum infrigidet magis, & flatus moveat generetq;. Hæc ſunt præſtantiſſimi domini Doctores, quæ in curando hoc affectu ægrotantibus exhibere ſoleo, & , Dei ope, multos ex hoc malo liberaui, quæ tamen omnia iudicio veſtro ſubmitto emẽdanda. Plura potuiſſem addere, niſi ſciuiſſem prudẽtias veſtras in arte Medica non vulgariter exercitatas & inſtructas, quæ

omnia illa in melius disponere possunt, pro mea tamen tenuitate non dubito, si illa prudentiæ vestræ domino Consuli, de Republica & vobis omnibus bene merito, ea ratione obtulerint, & maxime si per imbecillitatem fieri poterit, fore vt DEO clementer adiuuante melius sit habiturus. Quod cõcedat vobis omnibus summus ille Medicus dominus noster IESVS CHRISTVS, ad sui nominis gloriam, & ad recuperandam sanitatem optimi domini Consulis ægrotantis. Amen. Rescribe quęso quem fructum ex illis medicamentis dominus Consul consecutus sit. Et si illa non conferant, de thermarum vsu cogitare poterimus. Salutem opto omnibus vobis cum familiis vestris. Ocyssime ex arce Dresdendi 5. Calen. April. anno Domini 1567.

IOHAN. NEFIVS, DVCIS SAXONIÆ MEDICVS.

CONSILIVM XI.

In ventriculi dolore, cum vomitu.

S. Prolixiores tuas literas elegantia verborum atque humanitate refertas, claris-

clarissime domine Doctor, accepi, ex quibus intellexi, Nobilem dominum variis morbis ac symptomatibus laborare, quæ certe multis ac præclaris remediis à te exhibitis sanari non potuerunt. Itaque prudentiã tuam ægrotum tuum monuisse, vt & meum exploraret auxiliũ. Sed, mi doctissime domine Doctor, quid me absentem facere posse putabis, cum tanto labore ac diligentia tu præsens, vt scribis, parum proficere potueris? Quapropter etsi decreueram apud me tabellarium illum tuum absque meo responso potius ad te remittere, quàm audire ab ægroto & adstantibus meum consilium illi minime profuisse, tamen vt vtrique vestrum gratificer, aperiam, quæ in retinendo vomitu ægrotis meis exhibuerim, iis, si placet, tu etiam vti poteris. Dolorem illum ventriculi, vna cum vomitu, à mala quadam intemperie cum materia, vt vocant, dependere, mihi dubium non est. Quæ vero sit materia, quive succi, qui ventriculum affligunt, scire nequeo, cum de iis in litteris tuis nulla facta mentio sit. Tu igitur pro tua industria obseruabis succo-

rum illorum crasin ad qualitatem, ut illos quandoq; concoquere valeas. Et si timueris reiectionē medicamentorū per vomitum, ut factum est antea, cucurbitulam vnam atque alteram fundo ventriculi sine ferro applicabis. Ipsi etiam ventriculo sequens emplastrum admouebis.

℞ Ol. mastichin.
de citoniis an. ℥ ß.
Crustæ panis assati, & in aceto forti per duas horas infusi ℥ ij.
Spodii,
Mastich.
Menthæ,
Corall. rubeor.
Santal. albi & rubri an. ʒ j.

Farinæ hordei q. s. ad subigendum & f. emplastrum. Ligaturas etiā dolorem inferentes brachiis ac pedibus applicabis. Quod si nec illis remediis vomitus coherceri poterit, consulo vt æger pedes suos in aquam frigidam subito ponat. Ad intra cum cibariis suis subsequentem puluerē offerendum censeo, qui talis est.

℞ Cortic. citri.
Lign. aloës.

Sem.

Sem.coriand.præp.
portulac.
Santal.flaui,
Mastich.a.ʒ ij.

Redigantur in puluerem, & misceatur. Quod si nec ille puluis proderit, exhibebis sequentem puluisculum, qui;

℞ Pul.ligni aloës ʒ ij.
Reseruetur usui.

Et iterum.

℞ Syr.acetosit.citri ℥ j.ß.

De quo sumat æger ligulam vnam, cui addes pulueris ligni aloës parum, & ægroto propinabis. Ego enim puluisculum illum in tali casu non sine fructu exhibitum fuisse noui. Ego etiam quando vidi biliosos succos causam fuisse eiusmodi symptomatis, exhibui syrupum de ribes, vel loco illius succum ribes, robvocatum; si vero pituitosos humores hoc accidens cõmouisse comperi, Miuam aromaticam vocatam obtuli. Ventrem adstrictũ clystere leniente aperies, & si times læsionem intestini recti, ob hæmorrhoidũ fluxum cannam clysteris intestino pulli probè vestire poteris. Ita enim nihil noxe intesti-

no infertur. Quod si nec ita aperiri aluus quiuerit, neque per os, nec per inferiora medicamenta exhiberi poterunt, hypogastrium vnguento de arthanita inungas. Inde enim venter tuæ expectationi respondebit. Ventriculus postea ab intra & extra roborantibus medicamentis cõfortetur. Vnguenta etiam & emplastra ventriculi orificio, ante & retro ad duodecimã vertebram spinæ dorsi, adhibeantur. Cibus etiã facilioris concoctionis, & sub paruo pondere plurimum nutriens offerendus. Nouit ista genera Prudentia tua melius me ipso, itaque non iudico necessariũ esse talia enumerare. Quod ad dominum Consulem apud vos mortuũ attinet, lubens illi, vel ob vestram autoritatẽ ac petitionem, atque hominis sapientiam consuluissem ac inseruiissem absq; omni spe lucri: sed quoniam, vt scribis, doloribus ac mærore confectus interierit, res ipsa Deo cõmendanda fuit. Scimus enim ex Ouidio gnomam communem: Interdum docta plus valet arte malũ. Vale vir clarissime, & me, quod facis, ama. E Dresda 6. Iunii, Anno 1567.

Ioh. Nefius aulæ Saxonicæ Medicus.

CONSILIVM XII.

In renum affectionibus, pro quodam nobili viro.

LOcvs affectus, exeuntia per vrinas, deniq; alia symptomata, demonstrant affectum esse renem. Esse autem grauem obstructionem, vel à materia, quæ in calculum iam concreuit, vel concretus iam sit, nullum dubium. Itaque obstructiones illas tollere necesse est, id fieri nequit, nisi materia sit euacuata. Hæc autem priusquam sit mollita, & incisa, denique substātia ipsa renum ad suam temperiem reducta, euacuari non poterit. Hinc manifestū rationali medico, quid sit agendum, videlicet, vt operam det, quo renum substantia mollescat, impacta renibus incidantur, atq; omnibus modis remoueantur, & ne noua materia affluat, cautio adhibeatur. Ab his igitur in medicatione faciendum initium, omniaque quæ ad augendam materiam faciunt, & intemperiem renum magis lædunt, cauenda. Nisi enim hoc fiat, frustra medicamentis Medicus pugnabit. Proinde recta vi-

ctus ratio in primis tenenda, fugienda lacticinia, pisces, præsertim carpiones, recremẽtitiæ carnes, vt suillæ, omnia fumo macerata, ciborum & ferculorũ varietas, denique quicquid ad cruditatem facit. Potus sit vinum purum, quod tamen à prandio, multo minus cum ventriculus ieiunus est, non ingurgitandum. Deducit enim humores crudos, ledit nervos, & catarrhum, qui affectioni renum in hoc corpore coniunctus est, auget. Observata igitur recta victus ratione, non statim ad ea remedia, quæ calculos eiiciunt, & diuretica vocantur, deueniendum, sed humectantibus & emollientibus, & præparantibus materiam, primum foris atque intra corpus, vtendũ. Foris emollit axungia cuniculi cum succo maluæ cocta. Item emplastrum Diachylon cum oleo subactum; iis igitur inunguntur lumbi mane & vesperi. Intra corpus vtatur decocto radicum altheæ cum butyro & melle, deinceps ad abstergentia vehementiora deueniendum, vt est decoctum vel succus veronicæ, chamæcissi, radicum rubi: quæ omnia ad consilium

ſilium præſentis Medici, non præſcriptum noſtrum, ſunt adminiſtranda. Ad vacuandam autem materiam vſu Terebinthinæ cum rhabarbaro, & puluere glycyrrhizæ nihil conuenientius. Non ſolum enim materiam ipſam expellit: ſed etiam renibus atque vreteribus læſis auxiliatur. Renum intemperies deinceps potu, vel thermarum conuenientium, vel aqua fragorum, corrigetur. Hæc Medico rectæ rationis medendi perito, ſatis: imperito autem, & qui omnia ex formulis agat, nimis multa, cum ne iſta quidem intelligat.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XIII.

In calculo renum, pro quodam nobili viro.

GENERALIS præſeruationis à calculo duo ſcopi ab Hippocrate monſtrantur. Quorum primus nobis intemperiem renum conſiderandam præſcribit, alter, vt caro renũ dura & denſa, reddatur mollior atque laxiot, dictat. Intem-

peries quæ coquit calculos , calida est haud dubie. Itaq; refrigerationem quandam renum indicat. Quia vero calor iste non est simplex, sed peculiarem quãdam vim coquẽdi calculos habet, proinde peculiaribus etiam remediis contemperandus. Videmus enim multos insigni caliditate renum præditos, nec tamen calculosos. Alter scopus, videlicet, caro renum durior & densior, ita vt materiæ, ex qua fiunt calculi, transitum prohibeat, per humectantia atque relaxantia medicamenta eam emolliendam esse indicat. Hæc quoque peculiarem facultatem habere oportet, & ad ipsam carnem renum directa esse. Multi igitur medici vtrunq; scopum præclare putant se attingere, dum foris vnguentum rosatum & similia adhibent, atque interdum etiam magnopere iis ægri iuuantur. Verum si intra corpus sumantur ea, quæ primum in victus ratione materiam calculi imminuant, deinde suauiter eam educant, atque deinde renum intemperiem corrigant, & laxiores eorum carnes reddant, præclare ægris cõsulitur. Ad hoc vero si quid facit, existimo ra-

no radicum eringii vſum in potu cũ de-
ita & recta victus ratione præſtare, præ-
ertim ſi Medico temperamentum ægri,
materia calculorum ſit perſpecta. Cum
utem illius, qui à me cõſilium petit, cor-
oris temperaturam non nouerim, nec
ualis ſit materia calculorum, quam ple-
umque calor & concretionis mollities,
el durities indicat, ſciam, neceſſe erit,
t præſentem Medicum in conſilium ad-
ibeat, atque ex eo primum victus ratio-
em rectam petat, deinde quomodo vn-
uentis, quæ intemperiem renum emen-
ant, & decocto radicum eringii ſit v-
endum petat. Hoc quoque prætereun-
um non eſt, cum nullum corpus, etiam
accuratiſſima victus ratione tã ſit tem-
eratum, vt non multa excrementa col-
gat, vt ea per iuſta interualla conuenien-
bus remediis ſubducantur. Id ſi æger fe-
erit, haud dubie me rectiſſime conſulu-
ſe reipſa experietur. Magna eſt corpo-
um, magna remediorum, dum de cauſis
enerationis calculi res in difficili cogni-
ione apud Medicos verſetur, difficultas.
e igitur non ſatis explorata atque per-

ſpecta, conſilium dare, ac hæc vel iſta remedia tanquã certa præſcribere non prudentis conſiderationis eſſe videtur. In multis etiam ab uſu diureticorum plus eſſe periculi à remedio, quam ipſo morbo, plurimis exemplis docemur. Itaq; nequaquam iudicium Medicũ præcipitandum, aut cõmunibus remediis, etiam quæ aliis profuiſſe videntur, niſi certa bona atque firma ratione, atque indicatione præeunte, fidendum.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XIV.

De aſtrictione alui, & moleſtiis, quæ à flatibus oriuntur, ac de calore nocturno præternaturali, pro quodam illuſtri viro.

ITERVM Illuſtris Dominus de aſtrictione alui, & moleſtiis, quæ à flatibus oriuntur, conqueritur. Veriſſime autem iam antea ſcripſi, non facile eſſe Medico corrigere, quod fert natura. Hippocratis noſtri hoc eſt quaſi oraculum: Quibus iuueni-

uuenibus aluus est solutior, iis in senectute astrictionem fieri. Hoc in Illustri domino quoque euenit. Per emmata recte quidem humectari posset; sed cũ frequens eorum vsus calorem intestinorum debilitet ad prouentum flatuum facit, & naturam segniorem reddit. In hoc quoq; corpore aliud incommodum obstat satis graue. Itaq; electuario illo, quod alias pręscripsi, à pulpa prunorum, butyro, &c. sua Illustris clementia vti poterit, & Medici huic prout corpus affectũ esse videbunt, aliquid addere, vel demere. Commendant quidam vsum ladani purissimi cum modico bdellii, & hora vna ante pastum pillulã vnam vel alteram de eo exhibent. Fateor emollire & temperare calefacere, pituitam etiam magis adhærentem intestinis educere, sed huius quoq; frequens vsus, vereor ne sit molestus. Glandes vel suppositoria è butyro bene salito tutissimi sunt, eorumque vsum maxime probo, cum necessitas exigit. Verum illustri Domino persuasum esse simul desidero: longe tutius viuere senes, & vires facilius tueri, quibus aluus astricta est, quam iĩ

quibus profusa. De flatibus alias meā sententiam scripto exposui: Calorem innatum, qui defluxu ætatis corpus deseruit, nulla arte reuocare possumus. Et cum pituita tenacius intestinis adhærens, & tardam etiam aluum efficiens flatuum materia sit in primis, opera danda ne crudi humores accumulentur. Itaque hîc sola victus ratio tutissima medicina. Nam expurgare eam velle neque tutum, neque rectum est. Meo atque aliorum exemplo didici, Nihil esse conuenientius, nihil etiam coctioni accommodatius, quam gestare cerotum ex una parte ladani purissimi, & duabus ceræ compositum: suauissime enim fouet calorem innatū, & ad flatus dissoluendos atque coctionem plurimum facit. Initio nonnihil molestum videtur, sed temporis progressu plurimum iuuat. Ego præpotenti Deo, qui mihi hoc medicamētum ostendit, gratias ago. Certè flatulenta melancholia laborantibus nihil eo vtilius. Si interdum quoque illustris Dominus vtatur orbiculis ex oleo cinnamomi, itē ex oleo carui, rectissimū fuerit. D. Monauius in literis suis addit Il-

lustrem

lustrem dominũ de calore præternaturali conqueri, præsertim noctu. Multis senibus hoc symptoma, in quibus difficilior coctio, & distributio alimenti, familiare est, sed periculo vacat. Cum enim vapores, qui ascendunt & cor feriunt, non calorem innatum cordis, sed effluentem saltem afficiãt, febrilis iste calor censeri non potest. Et mihi non dubium est, quin per vsum ceroti illius, de quo dixi; coctiones meliores factæ, calori huic occasionem non sint daturæ. Addit Monauius de potu, & prudenter quidem; reipsa enim cõperi: senes qui calore isto afficiuntur, non alio modo eum posse effugere, quam si vino prorsus abstineant. Sed cum illustris Dominus ad cereuisiæ vsum non sit assuefactus, neque aquam decoctum seni bibere tutum: nequaquam vt à vino abstineat, consulere volo. Illud saltem moneo, vt vinum purum atq; tenue, & quod ventriculo gratissimum sit, siue Neccarinum, siue Rhenanum, siue Austriacum, bibat parcissime. Sæpe potius, quam large hauriat. Si diluendum est, in vase potius, quam in poculo hoc faciat: atq; nisi

hoc valetudini aduersum sentit, potu aquæ, cum cereuisiam auersetur, pastum claudat. Hæc potui ipse animo perturbatissimo, & valetudine infirmissima monere: quæ à præpotenti Deo benigne fortunari opto.

IOHAN. CRATO.

A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XV.

In paralysi.

QVANTVM ex his, quæ mihi perscripta sunt, intelligo, morbus cerebri in neruorum est terminatus. Itaque etsi diligens ratio adhibenda sit, ne cerebrum vllo modo amplius obstruatur: tamen nunc ad neruos respiciendum. Quę vero pars sit resoluta, non possum intelligere. Itaque definire, cui parti sint applicanda remedia, non possum. Quod ad euacuationes attinet, non dubito, quin excellentissimi Medici in officio fuerint, & præcepti Auicennæ meminerint, qui efficacem materiam medicamenti purgantis in hac affectione præscribit. De missione sanguinis nihil intelligo, neque scribere

lebeo. Sed si cucurbitulæ non sunt adhibitæ, magnum præsidium est neglectum. Velim autem ex vtraq; parte spinæ dorsi adhiberi. Ac si materia multa, quæ sensibiliter euacuent, id est, cum sarcificatione. Si pauca, quæ insensibiliter, id est, absque sarcificatione. Alterantia materiam, & roborantia intelligo esse adhibita. Nam de antidoto mithridatica cum castoreo perscribitur commendat in primis in hac affectione Aetius castoreum, sed dosis, quam ad vnciam mediam extendit, nimis est magna. Diligẽter autem videndum, ne dum roborare volumus, caput pergravemus. Tuta est conserua chamæpytis, acori, anthos, melissæ. Localia ad spinam dorsi multa possunt applicari, verum inunctio cum axungia taxi, & oleo nucis muscatæ rectissima est. Adhibetur deinde emplastrũ ad spinam dorsi ex puluere galãgæ, calami aromatici, pulu. lumbricorũ mistis, & ad lentum ignem inspissatis cũ melle. Victus rationẽ, quæ præcipua pars curationis est, non dubito, quin Medici præscripserint. Ego doctissimos Medicos nihil monere debeo. Neglige-

re tamen eos vſum granorum pini, præſertim in panatellis, nolim. In potu autem mulſam, vel cum ſaluia, vel roriſmarino, vehementer probo. Si caput iſtis herbis pergrauatur, anſerina plurimum commendatur. Aquam deſtillatam caponum remouendã cenſeo. Plura cum iam quatuordecim dies præterierint, ſcribere non debeo. Hæc autem vt ſcriberem amore potius, quam quod neceſſe putarem, adductus ſum.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XVI.

In melancholia.

IN confeſſo eſt, medicum id vnum rectè agere, quod vere recteque cognoſcit, & eos morbos, qui in difficili cognitione verſantur, plerumque difficulter curari. Itaque in initio non tam de nomine, quam eſſentia huius effectionis conſtituendam. Animaduertunt autem excellentes Medici affectus illius, quem Græci & Latini melancholiam vocant, in hoc corpore ea eſſe indicia, quæ veluti pro-

proprius character eam designant, & intensionem (vt Alexander Trallianus statuit) cum ad maiorem feritatem accedit, maniam recte Græcis appellari. Intendi autem non tam symptomata, quam ipsius cerebri intemperiem, & morbi causam existimandum, nec de nominibus, quæ alias aliter autores vsurpant, contendendum, & rem ipsam considerandam. Nam interdum fuisse mœstum (quod quidem symptoma maniæ, sicut tristitia & metus melancholiæ est) constat, cum nulla maniæ fere indicia perpetua fuerint, incrementa vero cum melancholicus humor ferueret. Habet enim humor iste, vt Mōtanus loquitur, caliditatem, ac potius seminarium ignis in se, quod quidem alias magis, aliàs minus intenditur, vt deinceps declarabimus. Nunc vt ad rem deveniamus, morbum intemperiem frigidam & siccam, cum materiæ affluxu statuimus, causam huius melancholicum tam humorem, quam vaporem, qui aliàs per se in cerebro, aliàs per consensum, cum interualla quædam symptomata habeant, de quo consensu mihi nihil liquido

apparere, vel ex ſcriptis me elicere poſſe fateor) augetur. Nam ſi quis eſt conſenſus, vel ab vniuerſo corpore, vel aliqua illius certa parte dependet, de quibus à Medicis cum perſcriptum non ſit, pronunciare ſuperuacaneum. De liene loqui nimis ieiunum. Cum vero Galenus affectum totius corporis miſſo ſanguine rectiſſime cognoſci (etſi alia quoque eſſe indicia Medici ſciant) nos doceat, vt excellentiſſimi Medici ſanguinem miſſum minime fuiſſe melancholicum perſcribunt, nos illis fidem adhibere decet. De melancholia hypochondriaca quædam aſperſi; verum ea non tam perſpicere, quam diuinare licet. Proinde primario affectum cerebrum eſſe ſtatuimus; cauſamque intendi ab externis, interdum ab internis cauſis, videlicet, vaporibus à calidiore ſanguine, vel à bile concitatis, arbitror. Indicia ſunt cum alia, tum quod caput ab ineunte ætate debile, & humoribus pituitoſis acrioribus occupatum habuit. Laborauit enim infans comitiali morbo vlcuſcula, quæ Medicis pſydracia appellantur, habuit, & etiam nunc habet.

Ac vtinã illa copiose erumperent, melius fortasse sese haberet. Etsi enim illa non ã melancholici humoris, quam pituitosi int soboles, cum sint tumores duri, subalicent, pressi saniem reddant: tamen caut prauis humoribus occupari satis inicant. Me vero hic non accedere ad Arabum sententiam, & pituitam ita assari osse, vt ex ea atra bilis fiat, existimare rofiteor; neq; cum iis sentio, qui cum Hippocratis sententiam audiunt, melanholicos fieri, ideo hunc ægrum melancholia corripi; qui infans comitiali morbo laborauit sibi nulla ratione ducti. Nequaquam enim, vt Galenus nos docuit, d est perpetuũ, cum in pueris hunc morum à pituita oriri nemo propemodum, idubium vocet. Proinde nimium paua respiciunt, qui prompte ex sententia eterum iudicant. Cæterum cum Hippocrates dicat, tunc fieri comitiales, cum nfirmitas ad corpus vergit: Melanchoicos vero cum ad mentem, idque minime parua cõtẽplatione egere Galenus ateatur; velim sane & nostros Medicos de hoc amplius cogitare. Nam etsi Gale-

nus ita interpretetur, vt ad cerebri corpus conuerti humorem melancholicum dicat, quando vt pars instrumentalis laborat, & obstructionem patitur; ad mentem vero repere, cum vt similare membrum afficitur : tamen quomodo mens ab ipso humore afficiatur, à multis quæsitum, nec dum repertum. Nam Auerrhoes illa, quæ de tenebris & perturbationibus in sede ratiocinatricis animæ, cum anima non videat ea, quæ in corpore mouentur, afferuntur, suauiter deridet; sed quando istæ disputationes parum ad curationem faciunt; & Galenus animam; vel temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento permutari statuit, & Trallianus humorem melancholicum infinitas perturbationes cerebri inducere recte affirmet; omissis iis, quarum causæ non patent, neque magnopere ad curationem faciunt, aperta amplectemur. Certum vero hoc est, cum timor, audacia, iracundia temperamentum cordis sequantur, facile ipsum in consensum cerebrũ trahere. Itaque cum cerebrũ ab humore melancholico,

ico, qui vt dixi, ſeminarium ignis, vel vt
um Montano loquar, caliditatem admi-
ctā continet, affectum eſſet, & ſimul pi-
uita (vt catarrhi perpetui oſtendunt) la-
oraret, eamque recte à Medicis melan-
holiæ quaſi carcer ſtatueretur, conſecu-
a ſunt ante triennium triſtitiæ, metus ſu-
piciones, moroſitas. Hæc vero non mo-
o victus ratione & exercitiis, poſt cibum
alidioribus, quibus caput admodum re-
leri ſcimus aucta, ſed cum gravia ſym-
tomata maximas cauſas habeant, ma-
no cumulo ſubito quaſi in corpore præ-
iſpoſito aucta. Nam cum flecti ab iis, in
uorum poteſtate eſſe videbatur, debe-
et, propemodum intempeſtiue fractus
t. Scimus autem generoſas naturas nul-
re grauius, quam contemptu & diſpi-
entia affici, & principum impetus mo-
erandos potius, quā retundandos eſſe.
Iac in parte cum multipliciter initio er-
tum eſſe à quibusdam intelligamus, &
os etiam qui dum fauore populari mu-
ti ſunt, ſupra omnes homines ſeſe ex-
llunt, & poteſtate docēdi facta abutun-
r, nimios fuiſſe, nec mediocritatem di-

uina sapientia dignam obseruasse, & lenitatis, quam pietas com̃endat, im̃emores fuisse, in oculos incurrat, non mirum est si ad hunc modum animus excelsus de potestate exierit, neq; dum in eam redire possit. Quod vero hoc anno fuit placidior, causa de Possidonei sententia, quã Aetius refert, patet, videlicet quod humore deferuescente melancholicæ affectiones mitiores efficiantur. Proinde etiam atq; etiam irritationes cauendas monemus, & vt molliter & suauiter æger tractetur, ea quæ offendunt, quoquo modo remoueãtur, nec insuauia, molesta, ingrata ingerãtur: multo minus ad ea quasi adigatur vllo modo; quibus ægri salus curæ est, concedatur. Illorum etiam hominum, à quorum conspectu abhorret, præsentia dimoueatur, nec sermonibus ingratis obtundatur, nec insaniam insaniẽdo curari posse à quoquam existimetur. Magis autem quam æger insaniunt, qui cum in authoritate constituti videantur intempestiue eà vtuntur: perterritum terrent, & à pertinacia ac proteruia, quæ morbi initiũ est, pertinaciter & proterue abdu-

abducere ſtudent: in ſilentio potius, precibus, qui iuuare volunt, incumbant, quã fruſtra verba fortia ſapientiæ fundãt. Hoc niſi factum fuerit, & vt in quiete ſit æger, donec ad ſe redeat, & ſe ipſum rectius cognoſcat, procuratũ, periculum eſt ne nimium agatur. Non enim euerſa euertenda, ſed erigenda ſunt. Venit hic mihi in mentem Platonica diſputatio de inſania, cum cerebrum quaſi euerſum ſtatuit, & præclare de iſta affectione agit: ſed medica perſequamur. Oſtenſum eſt cerebrum primariè laborare, cauſas etiam cur ſymptomata remittant & intendantur, prolixius explicare poſſemus, verum ingenioſis & doctis oſtendiſſe ſatis eſt. Ad curationem vero quod attinet, notum eſt de ſententia Galeni 6. Epidemior. com. 2. Vitium humanum tripliciter corrigi: 1. alteratione, 2. vacuatione, 3. epicraſi: & vt primã atque poſtremam intentionem conſequamur, præcipue victus rationem recte inſtituendam. Proinde cum Galenus incipientes melãcholicos ſola victus ratione humectante & balneis curauerit, hunc tanquam optimum in arte noſtra

ſpecta, conſilium dare, ac hæc vel iſta remedia tanquā certa præſcribere non prudentis conſiderationis eſſe videtur. In multis etiam ab uſu diureticorum plus eſſe periculi à remedio, quam ipſo morbo, plurimis exemplis docemur. Itaq; nequaquam iudicium Medicū præcipitandum, aut cōmunibus remediis, etiam quæ aliis profuiſſe videntur, niſi certa bona atque firma ratione, atque indicatione præeunte, fidendum.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XIV.

De aſtrictione alui, & moleſtiis, quæ à flatibus oriuntur, ac de calore nocturno præternaturali, pro quodam illuſtri viro.

ITERVM Illuſtris Dominus de aſtrictione alui, & moleſtiis, quæ à flatibus oriuntur, conqueritur. Veriſſime autem iam antea ſcripſi, non facile eſſe Medico corrigere, quod fert natura. Hippocratis noſtri hoc eſt quaſi oraculum: Quibus iuueni-

iuuenibus aluus est solutior, iis in senectute astrictionem fieri. Hoc in Illustri domino quoque euenit. Per emmata recte quidem humectari posset; sed cũ frequens eorum vsus calorem intestinorum debilitet ad prouentum flatuum facit, & naturam segniorem reddit. In hoc quoq; corpore aliud incommodum obstat satis graue. Itaq; electuario illo, quod alias pręscripsi, à pulpa prunorum, butyro, &c. sua illustris clementia vti poterit, & Medici huic prout corpus affectũ esse videbunt, aliquid addere, vel demere. Commendant quidam vsum ladani purissimi cum modico bdellii, & hora vna ante pastum pillulã vnam vel alteram de eo exhibent. Fateor emollire & temperare calefacere, pituitam etiam magis adhærentem intestinis educere, sed huius quoq; frequens vsus, vereor ne sit molestus. Glandes vel suppositoria è butyro bene salito tutissimi sunt, eorumque vsum maxime probo, cum necessitas exigit. Verum illustri Domino persuasum esse simul desidero: longe tutius viuere senes, & vires facilius tueri, quibus aluus astricta est, quam ii

Digitized by Google

quibus profusa. De flatibus alias meã sententiam scripto exposui: Calorem innatum, qui defluxu ætatis corpus deseruit, nulla arte reuocare possumus. Et cum pituita tenacius intestinis adhærens, & tardam etiam aluum efficiens flatuum materia sit in primis, opera danda ne crudi humores accumulentur. Itaque hîc sola victus ratio tutissima medicina. Nam expurgare eam velle neque tutum, neque rectum est. Meo atque aliorum exemplo didici, Nihil esse conuenientius, nihil etiam coctioni accommodatius, quam gestare cerotum ex una parte ladani purissimi, & duabus ceræ compositum: suauissime enim fouet calorem innatũ, & ad flatus dissoluendos atque coctionem plurimum facit. Initio nonnihil molestum videtur, sed temporis progressu plurimum iuuat. Ego præpotenti Deo, qui mihi hoc medicamẽtum ostendit, gratias ago. Certè flatulenta melancholia laborantibus nihil eo vtilius. Si interdum quoque illustris Dominus vtatur orbiculis ex oleo cinnamomi, itẽ ex oleo carui, rectissimũ fuerit. D. Monauius in literis suis addit Il-

lustrem dominũ de calore præternaturali conqueri, præsertim noctu. Multis senibus hoc symptoma, in quibus difficilior coctio, & distributio alimenti, familiare est, sed periculo vacat. Cum enim vapores, qui ascendunt & cor feriunt, non calorem innatum cordis, sed effluentem saltem afficiāt, febrilis iste calor censeri non potest. Et mihi non dubium est, quin per vsum ceroti illius, de quo dixi, coctiones meliores factæ, calori huic occasionem non sint daturæ. Addit Monauius de potu, & prudenter quidem, reipsa enim cõperi: senes qui calore isto afficiuntur, non alio modo eum posse effugere, quam si vino prorsus abstineant. Sed cum illustris Dominus ad cereuisiæ vsum non sit assuefactus, neque aquam decoctum seni bibere tutum: nequaquam vt à vino abstineat, consulere volo. Illud saltem moneo, vt vinum purum atq; tenue, & quod ventriculo gratissimum sit, siue Neccarinum, siue Rhenanum, siue Austriacum, bibat parcissime. Sæpe potius, quam large hauriat. Si diluendum est, in vase potius, quam in poculo hoc faciat: atq; nisi

hoc valetudini aduersum sentit, potu aquæ, cum cereuisiam auersetur, pastum claudat. Hæc potui ipse animo perturbatissimo, & valetudine infirmissima monere: quæ à præpotenti Deo benigne fortunari opto.

IOHAN. CRATO.

A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XV.

In paralysi.

QVANTVM ex his, quæ mihi perscripta sunt, intelligo, morbus cerebri in neruorum est terminatus. Itaque etsi diligens ratio adhibenda sit, ne cerebrum vllo modo amplius obstruatur: tamen nunc ad neruos respiciendum. Quę vero pars sit resoluta, non possum intelligere. Itaque definire, cui parti sint applicanda remedia, non possum. Quod ad euacuationes attinet, non dubito, quin excellentissimi Medici in officio fuerint, & præcepti Auicennæ meminerint, qui efficacem materiam medicamenti purgantis in hac affectione præscribit. De missione sanguinis nihil intelligo, neque scribere

debeo.

debeo. Sed si cucurbitulæ non sunt adhibitæ, magnum præsidium est neglectum. Velim autem ex vtraq; parte spinæ dorsi adhiberi. Ac si materia multa, quæ sensibiliter euacuent, id est, cum sarcificatione. Si pauca, quæ insensibiliter, id est, absque sarcificatione. Alterantia materiam, & roborantia intelligo esse adhibita. Nam de antidoto mithridatica cum castoreo perscribitur commendat in primis in hac affectione Aetius castoreum, sed dosis, quam ad vnciam mediam extendit, nimis est magna. Diligẽter autem vidẽdum, ne dum roborare volumus, caput pergravemus. Tuta est conserua chamæpytis, acori, anthos, melissæ. Localia ad spinam dorsi multa possunt applicari, verum inunctio cum axungia taxi, & oleo nucis muscatæ rectissima est. Adhibetur deinde emplastrũ ad spinam dorsi ex puluere galãgę, calami aromatici, pulu. lumbricorũ mistis, & ad lentum ignem inspissatis cũ melle. Victus rationẽ, quæ præcipua pars curationis est, non dubito, quin Medici præscripserint. Ego doctissimos Medicos nihil monere debeo. Neglige-

proprius character eam designant, & intensionem (vt Alexander Trallianus statuit) cum ad maiorem feritatem accedit, maniam recte Græcis appellari. Intendi autem non tam symptomata, quam ipsius cerebri intemperiem, & morbi causam existimandum, nec de nominibus, quæ alias aliter autores vsurpant, contendendum, & rem ipsam considerandam. Nam interdum fuisse mœstum (quod quidem symptoma maniæ, sicut tristitia & metus melancholiæ est) constat, cum nulla maniæ fere indicia perpetua fuerint, incrementa vero cum melancholicus humor ferueret. Habet enim humor iste, vt Mõtanus loquitur, caliditatem, ac potius seminarium ignis in se, quod quidem alias magis, aliàs minus intenditur, vt deinceps declarabimus. Nunc vt ad rem deveniamus, morbum intemperiem frigidam & siccam, cum materiæ affluxu statuimus, causam huius melancholicum tam humorem, quam vaporem, qui aliàs per se in cerebro, aliàs per consensum, cum interualla quædam symptomata habeant, (de quo consensu mihi nihil liquido

apparere, vel ex ſcriptis me elicere poſſe fateor) augetur. Nam ſi quis eſt conſenſus, vel ab vniuerſo corpore, vel aliqua illius certa parte dependet, de quibus à Medicis cum perſcriptum non ſit; pronunciare ſuperuacaneum. De liene loqui nimis ieiunum. Cum vero Galenus affectum totius corporis miſſo ſanguine rectiſſime cognoſci (etſi alia quoque eſſe indicia Medici ſciant) nos doceat, vt excellentiſſimi Medici ſanguinem miſſum minime fuiſſe melancholicum perſcribunt, nos illis fidem adhibere decet. De melancholia hypochondriaca quædam aſperſi; verum ea non tam perſpicere, quam diuinare licet. Proinde primario affectum cerebrum eſſe ſtatuimus; cauſamque intendi ab externis, interdum ab internis cauſis, videlicet, vaporibus à calidiore ſanguine, vel à bile concitatis, arbitror. Indicia ſunt cum alia, tum quod caput ab ineunte ætate debile, & humoribus pituitoſis acrioribus occupatum habuit. Laborauit enim infans comitiali morbo vlcuſcula, quæ Medicis pſydracia appellantur, habuit, & etiam nunc habet.
Ac

Ac vtinã illa copiose erumperent, melius fortasse sese haberet. Etsi enim illa non tã melancholici humoris, quam pituitosi sint soboles, cum sint tumores duri, subalbicent, pressi saniem reddant: tamen caput prauis humoribus occupari satis indicant. Me vero hic non accedere ad Arabum sententiam, & pituitam ita assari posse, vt ex ea atra bilis fiat, existimare profiteor; neq; cum iis sentio, qui cum Hippocratis sententiam audiunt, melancholicos fieri, ideo hunc ægrum melancholia corripi, qui infans comitiali morbo laborauit sibi nulla ratione ducti. Nequaquam enim, vt Galenus nos docuit, id est perpetuũ, cum in pueris hunc morbum à pituita oriri nemo propemodum in dubium vocet. Proinde nimium pauca respiciunt, qui prompte ex sententia veterum iudicant. Cæterum cum Hippocrates dicat, tunc fieri comitiales, cum infirmitas ad corpus vergit: Melancholicos vero cum ad mentem, idque minime parua cõteplatione egere Galenus fateatur; velim sane & nostros Medicos de hoc amplius cogitare. Nam etsi Gale-

nus ita interpretetur, vt ad cerebri corpus conuerti humorem melancholicum dicat, quando vt pars instrumentalis laborat, & obstructionem patitur; ad mentem vero repere, cum vt similare membrum afficitur: tamen quomodo mens ab ipso humore afficiatur, à multis quæsitum, nec dum repertum. Nam Auerrhoes illa, quæ de tenebris & perturbationibus in sede ratiocinatricis animæ, cum anima non videat ea, quæ in corpore mouentur, afferuntur, suauiter deridet; sed quando istæ disputationes parum ad curationem faciunt, & Galenus animam, vel temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento permutari statuit, & Trallianus humorem melancholicum infinitas perturbationes cerebri inducere recte affirmet; omissis iis, quarum causæ non patent, neque magnopere ad curationem faciunt, aperta amplectemur. Certum vero hoc est, cum timor, audacia, iracundia temperamentum cordis sequantur, facile ipsum in consensum cerebrũ trahere. Itaque cum cerebrũ ab humore melancholico,

lico, qui vt dixi, seminarium ignis, vel vt cum Montano loquar, caliditatem admixtã continet, affectum esset, & simul pituita (vt catarrhi perpetui ostendunt) laboraret, eamque recte à Medicis melancholiæ quasi carcer statueretur, consecuta sunt ante triennium tristitiæ, metus suspiciones, morositas. Hæc vero non modo victus ratione & exercitiis, post cibum validioribus, quibus caput admodum repleri scimus aucta, sed cum gravia symptomata maximas causas habeant, magno cumulo subito quasi in corpore prædisposito aucta. Nam cum flecti ab iis, in quorum potestate esse videbatur, deberet, propemodum intempestiue fractus est. Scimus autem generosas naturas nulla re grauius, quam contemptu & dispicientia affici, & principum impetus moderandos potius, quã retundandos esse. Hac in parte cum multipliciter initio erratum esse à quibusdam intelligamus, & eos etiam qui dum fauore populari muniti sunt, supra omnes homines sese extollunt, & potestate docẽdi facta abutuntur, nimios fuisse, nec mediocritatem di-

Digitized by Google

uina sapientia dignam obseruasse, & lenitatis, quam pietas comendat, imemores fuisse, in oculos incurrat, non mirum est si ad hunc modum animus excelsus de potestate exierit, neq; dum in eam redire possit. Quod vero hoc anno fuit placidior, causa de Possidonei sententia, quã Aetius refert, patet, videlicet quod humore deferuescente melancholicæ affectiones mitiores efficiantur. Proinde etiam atq; etiam irritationes cauendas monemus, & vt molliter & suauiter æger tractetur, ea quæ offendunt, quoquo modo remoueãtur, nec insuauia, molesta, ingrata ingerãtur: multo minus ad ea quasi adigatur vllo modo; quibus ægri salus curæ est, concedatur. Illorum etiam hominum, à quorum conspectu abhorret, præsentia dimoueatur, nec sermonibus ingratis obtundatur, nec insaniam insaniẽdo curari posse à quoquam existimetur. Magis autem quam æger insaniunt, qui cum in authoritate constituti videantur intempestiue ea vtuntur: perterritum terrent, & à pertinacia ac proteruia, quæ morbi initiũ est, pertinaciter & proterue abdu-

abducere ſtudent: in ſilentio potius, precibus, qui iuuare volunt, incumbant, quã fruſtra verba fortia ſapientiæ fundãt. Hoc niſi factum fuerit, & vt in quiete ſit æger, donec ad ſe redeat, & ſe ipſum rectius cognoſcat, procuratũ, periculum eſt ne nimium agatur. Non enim euerſa euertenda, ſed erigenda ſunt. Venit hic mihi in mentem Platonica diſputatio de inſania, cum cerebrum quaſi euerſum ſtatuit, & præclare de iſta affectione agit: ſed medica perſequamur. Oſtenſum eſt cerebrum primariè laborare, cauſas etiam cur ſymptomata remittant & intendantur, prolixius explicare poſſemus, verum ingenioſis & doctis oſtendiſſe ſatis eſt. Ad curationem vero quod attinet, notum eſt de ſententia Galeni 6. Epidemior. com. 2. Vitium humanum tripliciter corrigi: 1. alteratione, 2. vacuatione, 3. epicraſi: & vt primã atque poſtremam intentionem conſequamur, præcipue victus rationem recte inſtituendam. Proinde cum Galenus incipientes melãcholicos ſola victus ratione humectante & balneis curauerit, hunc tanquam optimum in arte noſtra

ducem ſequamur. Victus ratio excellentiſſimis Medicis nota eſt, ſuperuacaneũ itaque monere. De balneorum vſu, licet in iis, quæ perſcripta ſunt, nulla fiat mentio, non prætermiſſa tamen iuuare exiſtimamus. Quid enim his vtilius, præſertim inter initia excogitari poterit? Ad vacuationis autem totius corporis & cerebri quod attinet, cum de iis interrogemur, pauca reſpondenda ſunt. Primum cum nulla ſit plenitudo in corpore, nec humor melancholicus ſanguinis miſſione facile extrahatur, de ea agere ſuperuacaneum. Quæſtioni vero de hæmorrhoidibus vt breuiter ſatisfaciam, mirari me fateor, cum principum medicorum Hippocratis & Galeni de his manifeſtæ & perſpicuæ ſint ſententiæ, cur dubitare excellentiſſimis Doctoribus in mentẽ veniat. Nota ſunt ſenis noſtri oracula, Melãcholicis hæmorrhoides ſuperuenientes bonę ſunt. Item: Inſanis ſi varices, aut hæmorrhoides ſuperueniunt, inſaniæ ſolutio. Sciunt quid de præclara illa L. Martii, à quo ſibi quaſi diuinos honores habitos. cum illius opera à melancholia liberatus

eſſet

esset,curatione commemoret. Vtinam igitur,vtinam euocari possent. Sunt quidem hæmorrhoides affectus declinantis ætatis, vt Galenus ait,proprii, non secus quam melancholia: sed cum æger noster in melancholiã adolescens incidit, quid vetat adolescenti eas mouere? præsertim si vllo modo sunt indicia declinantis humoris melancholici ad sedis venas. Proponuntur clysteria vehementia & acria? ea,ne quid dissimulem, non probo; cum ad ciendas hæmorrhoides non tantũ faciant, quantum intestina & venas mesaraicas lædant. Sub veris igitur initiũ sanguisugis ad hoc præparatis vtendum censeo, & interea frictionibus, fomentis, & vnctionibus,quibus hæmorrhoides tuto provocari possunt,vtendũ. Medicamenta etiam, quæ ad hoc faciant, purgantia dentur,inter quæ aloën atque senam primum locum tenere scimus. Proponunt excellentissimi Medici lapidem Lazuli, Armenum,Elleborum nigrum. In elleboro recte præparato magna quidem spes,sed ea extractio, quæ ostenditur cũ aniso & decoctis,licet eam Cordus, & alii

probauerint: tamen mihi neque recta, neque tuta videtur. Nam in elloboro siccitas & humiditas quædã venenata corrigenda, de qua correctione, & extractionis ratione possem multa dicere, nisi illud Mesues mihi in animo esset. Istũ esse gradum sapientiæ, nec ad medicinas fortes deueniamus, nisi ubi debiles non contulerint. Etsi autem sciam omnes fere practicos consulere fortissima & validissima medicamenta purgantia adhibenda: tamen à Mesue persuasus, idem facere debile medicamentũ repetitum, & minori periculo, quod forte semel & confertim facit, atq; experientia multorum annorum hoc verum esse didicerim: sane cur mihi aliud persuaderi patiar, veras causas, cum tuta semper sint Medicis præsidia eligenda, non video. Nihil dico quot, & quos similiter affectos curauerim, licet hoc vere possem, sed nunquam me lapide Lazuli, vel scamoneatis vsum esse vere affirmare possum. Itaq; in bonam partem accipiant Medici, si nec nunc probem: causas cur improbem non recenseo. Scenam non modo tutã esse, verum omni-

omnibus ſemper inſtrumentis purgandis inprimis conducibilem, ventriculo non noxiam cordi gratam ſcio, pręſertim ſi recte patetur. Ea igitur ad hunc modum crebro, vel ſingulis ſaltem ſeptimanis ſemel vtetur, ſicut & alias in melancholicis affectionibus vſus ſum. Sub veſperã ante cœnã exhiberem enema ſimplex ex decocto maluæ, & veronicæ cum oleo amygdalino & ſaccharo: ſequenti die darem hoc infuſum ſenæ:

℞ Paſſular. minor. ʒ vi.
Flor. borrag.
Violar.
Meliſſ. a. p. i.
Galangæ inciſ. ʒ vi.
Fol. ſenæ ſelectiſſ. ʒ vi.

f. decoctio & infuſio per noctem, mane rurſus ebulliant, & fortiter exprimantur.

℞ Expreſſi ℥ iiii.
Syr. roſac. ſolutiu.
de pomis
Mannæ Alexandr. an. ℥ ß. Miſc.

Syrupi vero de pomis deſcriptio hæc eſt.

℞ Herb. ſcolopend.

Pulegij,
Meliss.
Chamædr.an.m.1.
Flor.borrag.
beßten.
Ceterach.
Summit.thymi,
Stœchad.an.m.ß.
Fol.senæ electiss.
Epithym.an.℥ 1.
Cortic.ellebori nigri ℥ ß.
Succi pomorum Porsdorffianorum ℔ 1.ß.
agrimoniæ.
fumiterræ an. ℔.ß.

f.horum infusio & decoctio, & coletur, adde sacchari q. s. aromatisetur cum garyophyllis. Hoc syrupo non minus tuto, quam illo de tribus, qui ante viginti annos à me in patria mea præscriptus, nunc alterius nomine vsurpatur, frequenter vti poterit. Nunc vero si non haberi potest, infusum tamen senæ ex syrupo rosato & manna calabrina non omittatur. In pillulis & electuariis, quæ nimiũ siccantia medicamenta habent, exiguam spem pono. Imo

Imo periculum etiam à ſiccis & im̃odice calidis in melancholica affectione eſſe ſtatuo. Puluerem hali ſcio à multis commendari; verum dictum Meſues, quod paulo ante recitaui, mihi in animo eſt. Vtatur igitur qui volet. Eadem eſt ratio de electuariis & pulueribus confortativis, vt appellantur. Item de electuario Belgico Gereonis. Electuarium de myrobalanis probari aliis patior. Mihi vſus myrobalanorum, in iis, qui obſtructionibus laborant, non probatur. Sed innoxium in hoc ægro futurum arbitror. Cæterum quod ad roborantia, & alterantia attinet, magno ſucceſſu hoc electuarium vſurpatum ſcio:

℞ Nucum iuglandum,
auellanarum,
Papauer alb.
Chryſomelor. an. ℥ II.
Amygd. dulc. ℔. ß.
Nucis conditæ ℥ ß.
Macis ʒ II.
Confect. cum oleo aniſi,
Garyophyllor. a. ℥ I.

cum ſyrupo de ſucco betonicæ miſce ad

modum opiatæ. Facta est quoque mentio lapidum preciosorum, de quibus alios aliter cum siccent, sentire scio. Cardanus quidem scribit de se, solis somniferis potionib. & lotionibus, & usu chrysoliti intra octiduum melancholicos curasse. De lotionibus & potionibus facile omnes eruditi Medici consentiunt. De chrysolito periculum fieri posse absque periculo existimo. Dedi laboranti ictericia nigra lapidem Bezoar, & minxisse vidi tam nigra, quam atramentum est, meliusque se habuisse. Posse de lapide Bezoartico multa referre, cum de illius viribus sæpe periculum fecerim, sed nihil attinet. Inter ea vero quæ cerebrum roborant magnā vim ambræ orientali tribuo. De illa igitur sæpe in recenti ouo sorbili ægrum sumere velim. Plura non præscribo. Ne nimium siccis & calefacientibus vtantur moneo. Iā vero cum caput seu cerebrum primario affectu laborare existimemus, cnosentaneum est, vt de particularibus remediis, quæ huic adhibeantur, admoneamus. Rectissimum igitur esse quotidie per apophlegmatismos caput purgare,

gare, & à pituitoso humore liberare.

℞ Pyrethri,
Zinziberis an. ʒ i. ß.
Sem. staphysagr.
Erucæ a. ʒ i.
Cubebar. ℈ i.
Ambræ ℈ ß.

cum oxymellite q. s. f. ad formã electuarii liquidi, inungatur palatum. Deinde singulis diebus, vel certe alternis capiti mane per horam applicarem iecur vitulinum calidum. Adhibentur quoque occipiti magno successu grana iuniperi contusa. Item vbi comemorata non iuuant, hoc linimentum;

℞ Papauer. alb.
Cannabis,
Granor. iuniperi an. m. i.
Thuris albi ℥ ß.
Nucleor. persicor.
Chrysomelor. an. numero x,

contundantur & comisceantur cum aq. rosacea & è floribus sambuci, & supra caput totum in panno lineo ponatur, & reiteretur quoties exiccatum fuerit. Ego magno successu vsus sum. De vino etiam

sumus admoniti, si cum radicibus eringii Neccarinũ vel Rhenanum minime potens haberet, omnibus præferrẽ. Aetius atque Paulus mirifice vsum aceti cum æger dormire vult, ad cochlearii mensurã in hac affectione cõmendant, rationem nullam idoneam afferunt. Proinde iudicio medicorum permitto. Hanc potionem tutiorem arbitror sub noctem:

℞ Hordei diutissime cocti ℥ III.
Amygdal. infusar. in aq. rosar. ℥ II. ß.
Semp. papau. alb. ʒ I.

Coquantur duo dactyli in aqua hordeacea, & colaturæ ℔. II. reliqua admisceantur, ac percolctur. Detur sub noctẽ quando bibere volet. De diuino in morbis quorsum attinet Medicum verba fundere? Si spiritus Christi in iis est, qui homines nescio quo spiritu ducti, in potestatem spiritus mali tradunt, cur non eadem vi optimũ & innocentissimum ægrum eximunt? O cæcas hominum mentes. Vere vt Medicus scribit NN. dat pænas, vtinam sibi non attraheret. Hæc expressit iustissimus dolor, cum scribere non esset propositum. DEVM oro propter vnigenitum

nitum filium, qui ascendit, vt dona det hominibus, vt sua benignitate medicinas nostras fortunet, & præpotenti sua dextra nos atq; ægrum adiuuet. Sine illius enim numine nihil neq; in homine, neq; in medicina est.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XVII.

In eodem affectu, pro eadem persona.

EX iis quæ docte in primis scripta legimus, colligi facile potuit, melancholicum affectum in corpore esse, & eũ quidem per essentiam in cerebro, non autẽ hypochondriacum, aut ex toto corpore pendentẽ. Nam nec hypochondriaci vlla numerata videmus signa, & quod ad vniversum corpus attinet, nihil tale timendum hic esse, argumento est, quod sanguis missus laudabilis fuit, non ater, aut crassus, qui in his esse solet, qui totius corporis vitio melancholia afficiuntur. Multæ autem visuntur notæ per se affecti cerebri, quod crebrius affectus iste recur-

rat,ac frigidioris & ſiccioris cerebri non deſint ſigna. Cauſæ quoq; præceſſerunt, quæ primarii potius in cerebro affectus melancholici eſſe conſueuerunt, animi ſcilicet affectus mentem perturbantes. Et quamuis auctus in liene eſſe humor melancholicus ſcribatur, non tamē inde ſolum hic affectus exoritur: foueri quidem aliqua ex parte inde poteſt. Quandoque Galenus lienis vitio nonnullos melācholicis affectionibus vexari ſcribit, quod ſic accipiendum eſt, vt non niſi interueniēte modo aliquo trium melancholiæ, euenire id ſoleat. Quemadmodum etiam Arabes non ſolum ex liene, ſed à iocinore & vtero, lociſque aliis corporis peruenire dixerunt hunc affectum. Hunc autem quoniam certis ſignis ſcimus à cerebro, per ſe affecto, oriri, foueri tamen eum à liene recte exiſtimamus. Non attinet autē cauſas omnes hic recenſere diligenter iam enumeratas: Ex victus ratione mala, & educatione ab ineunte ætate praua. Accedentibus animi affectibus, indignatione frequenti, quæ omnes humores non leuiter exaſſare & melancholicos reddere potue-

erunt, frigidoq; ac ſicco iam antea
oro, non diuerſam intemperaturam
iliare, partique præſertim imbecilli
e, affectum talem inferre, cuius im-
llitatis argumentum eſt comitialis
bus in teneriori ætate factus. Vt iam
rtum ſatis ſit morbum in intempera-
a eſſe. Morbi autẽ huius proxima cau-
ſt atrabilarius humor. Morbi porro
nptomata huius erunt corrupta in pri-
s dianoeticæ partis functio; & triſtitia
iturnior; ſemper melãcholici affectus
hognomica ſigna ſunt habita, ſequun-
q; non diſſimilis generis alia; ſuſpicio,
fidentia, lacrymæ crebræ. Indignatio
tem & iracundia hinc non ſequuntur
oprie, ſed aliunde pendent, ex cordis
mirum temperamento. Neque incon-
enit vt ex vitali ſpiritu non bono anima-
s generetur itidem non bonus. De dæ-
ionio memini quoſdã in ea eſſe ſenten-
a, vt exiſtiment dæmonia corpora non
oſſe obſidere noſtra, niſi humores nan-
iſcantur, in quibus ſedem idoneam ha-
eant. Quamobrem quoquomodo exi-
timauerimus, tollendus nobis ſemper e-

rit humor cui insident, siue euacuatione faciendum in fuerit, siue consumptione aliqua, siue etiam attemperatione, quæ est Græcis ἐπίκρασις, qua simul & attemperatus mitigatur humor simul parti temperamentum melius concilietur, quamuis vt assequi ista liceat, metuendum valde sit propter causas magnas, atque affectum iam veterascentem. Neq; vero laborãdum magnopere nobis fuerit, quod ad humorũ præparationem & vacuationem attinet, tanta medicamentorum ad hanc rem copia, vt optimus delectus institui possit. Sed illud dixisse pro officio nostro satis erit, considerantibus humoris naturam, & laborantis ætatem, placidiorũ vsum nobis maxime probari. Nam cum & humoris sit, qui irritari frequentius & vehementius nolit, & ætas potentium nimis medicamentorum non satis tolerans, vsus probatur nobis leniter ac placide vacuantium medicamentorum magis semper. Quod genus est electuarium lenitiuum, & Diacatholicon, & Diasena, & ex senæ decocto, in quibus nulla exasperandi vis est. Itaque per interualla tempo-

mporum iusta quadã, potissimum au-
m inchoante vere, vel autumni etiam
mpore, non abs re fore censerem, si iu-
or fieret melancholici humoris purga-
, cum paulo plurium dierum præpara-
ne: quo tempore confectio hamech
nuenientissima videatur. Testari de la-
le Armeno vere licebit exhibitum ali-
ibus fuisse sine noxa ad drachmam vs-
vel scrupulos quatuor etiam. Lauisse
em oportet quinquagies: lapis est viri-
omnino coloris mineralis. Dixi de at-
nperatione per ἀντίκειμενον facta, quæ mi-
uidem omnium maxime placeret ra-
, vt ex qua multum sperari boni posset.
tat vt qui relinquitur humor à natura
quoad eius fieri potest, nominatus al-
tur & mitigetur, siccus est, crassus, a-
errestris, humectandus veniet, atte-
ndus, illustrandus, eliquandus. Hæc
ttemperationis summa, si modo eius
aliqua possit ratio. Inibitur autem
tum fieri potest ex victus ratione o-
a, repurgato prius, vt diximus, cor-
Nimis autem stulte à nobis fieret, si
e singula vellemus, quæ huc perti-

nent, præsentibus doctissimis Medicis. Specimen cibi laudati in sorbilibus ouis in iusculis optimarũ carnium, carnibusq; adeo ipsis vitulinis, hœdinis, veruecum, auicularum etiam, caponum & gallinarũ, perdicum, ac nemoralium auium. Potus etiam in vino albo, non nimis generoso, vel si generosum plus iusto fuerit, vinosumque nimis, diluendũ omnino parum, demendis siccandi viribus, quæ vino illiusmodi insunt. Tametsi autem sanguis in vniuerso corporis habitu laudatus ac floridus esse dicatur, curandum tamẽ diligenter, ne tempore sensim ille quoque veluti exustus assetur, occurrendumque victus ratione, cuius pars non postrema sunt balnea humefaciendi facultate prædita; quod quidem dulcis aquæ balneum præstare posse videtur, si tempestiuus & frequens eorum vsus fuerit. Neq; displiceret, si lauationi incoquantur herbulæ aliquot, vt chamomilla, malua, althea, violaria, & borrago. Interea quoniam ex liene foueri affectum hunc quoq; diximus, huius pariter habenda visceris aliqua ratio esse videbitur. Remedia ad id accom-

modata

modata non attinet referre. De hæmorrhoidibus an prouocandæ sint dubitari potest. Etenim si quoniã per consensum à tota corporis habitudine subortus non sit affectus is, vt ex multis iã notis liquet, quo casu venæ sectio minimè necessaria, hoc vtique nomine videretur sanguinis per hæmorrhoides prouocatio non admodum ex usu futura, quandoquidem fluens inde sanguis, in multis visus mihi sæpe fuerit floridus, calorisque ac substantiæ laudatæ. Quod idem in hoc casu reperiri valde credibile sit, cum repertus quoque eiusmodi fuerit missus ex vena; nisi vero sponte prius suã natura ipsi mittere in hæmorrhoides sanguinis aliquid tentaret. Nam tunc certam naturam esse adiuuãdum, vel hirudinum applicatione ad hæmorrhoides, vel venarũ ipsarum apertione facta aliqua phlebotomo, puta si exortæ attingi possent, vel per se, vel cucurbitula prius affixa evocare, aut qua alia ratione, vt præter alia taurinũ vel gossipio exceptum futurum vtile esset, aut ex cæpis & cyclamino cataplasma; nec non crebrior aloes per os assumptio idẽ præ-

ſtare valeret, & quidem tuto, ſed non lotæ. Qui modus alia pariter ex parte affectui ipſi nō obeſſet: exonerata quippe ita aluo ſæpius feculentis excrementis. Reſtat vnum propemodum tantum deliberandum maturius excellentiſſimis Medicis, num faciendum cenſeant, ego non raro ſucceſſum vidi ex decocti ſarſæ parigliæ aſſumtione in affectibus grauibus capitis, non ex gallicana ſolum lue contractis, dico doloribus, aut abſceſſibus, quæ tolli ratione alia potuerūt nulla, ne Guaiaci quidem ipſius decocto, niſi hoc vno remedio: verum etiam in doloribus aliis capitis diuturnis catarrhis, ac deſtillationibus, ad quas ſarſa hæc peculiariter facere animaduerſum eſt. Diſquirendum iſtud ſtudio omni, num hoc quoq; in negocio præſtiturum aliquid eſſet remedium hoc: præſtare poſſe non diffiderem ego. Nam & humoris noxii partem inde conſumendam fore ſperarē, partim contemperandam quaſi dilutiorem factam. Nec minus interea temperamenti melioris aliquid conciliari parti ita affectæ poſſet. Siquidem nō ea hic, vt in guaiaco calefaciend

ciendi atque exiccandi vis, ſed nec qualitas omnino vlla, quam nocituram ſuſpicer. Conſiderandum tamen, ac precibus aſſiduis exorãdus Deus, vt elargiri ſaltem dignetur, in quo vno, vna ac certa poſita eſt omnium noſtrum ſalus.

IVLIVS ALEXANDRINVS
MEDICVS CÆSAREVS.

CONSILIVM XVIII.

In eodem caſu, pro eodem ægro.

PROPONITVR morbus & ſatis difficilis ac diuturnus, qui ab 1572, quo incepit, ad hoc vſque tempus perdurat, remiſſior tamen factus, licet quandoque recurrentibus ſæuioribus ſymptomatis. Eſt autem hic morbus, quantum ex doctiſſimorum Medicorum ſcriptis datur cognoſcere, melancholia. Adſunt continui metus, & triſtitiæ propriiſſima ſigna, item ſuſpiciones ſiniſtræ, diffiden tia, alienæ cogitationes, lacrimæ etiam frequentes, & alia melancholiam conſequentia, quæ animalis facultatis functiones quaſdam deprauatas eſſe oſtendunt. Accidit

autem animaliũ functionum hæc deprauatio sine melancholia, vel cerebro primario male affecto, vel toto corpore melancholico succo redundante, vel etiam per cõsensum tantũmodo alia aliqua parte laborante, à qua ad sensuum instrumẽta vapores ac fumi efferantur. Sed præsens melancholia ex primaria cerebri affectione superuenisse videtur, siquidem cerebrum natura sua frigidius ac siccius ad receptionem humoris melancholici maxime videtur expositum, tẽperamento sibi similem. Tale autem esse cerebri temperamentũ ostendunt, quæ ab excellentissimis dominis Doctoribus prolixe sunt exposita. Accedit & substantiæ cerebri crassities quædam, quæ non parum ad melancholiam fouendã confert. Tarditas certe ingenii & difficilis cõprehensio crassitiem substantiæ cerebri demonstrans; veluti tenacitas memoriæ eius stabilitatem, vt quidem Galenus in arte medicinali. Coniungitur his malis cerebri quædam à primis annis debilitas ex morbo videlicet comitiali, cui in prima ætate obnoxius fuit, qui tandem in melancho-

liam

liam permutatus cerebri debilitatē permanentem satis ostēdit. Iam & intemperata victus ratio non parum huc contulit. In aere concluso ac fœtente olim diu versatus est, vino dulci ac potenti abunde vsus, & crassa etiam cereuisia intemperanter & intempestiue sese expleuit. Nam vt Aetius testatur non modo à natiua, sed ex mala ac intemperata victus consuetudine melancholicum quoque temperamentum contrahitur. Atque hæc quidem eo faciunt, vt cerebrum præcipue, primario & per essentiā affectum sciamus. Quanquam tamen & aliunde noñullos fumos efferri contingat, per quos & intenditur quandoq; vel varie permutatur morbus. In qua etiam sentētia excellentissimi domini Doctores sese esse ostendunt, & verba & autoritatem adferentes, vbi temperaturam cordis melancholicam, corrumpente tandem temperaturam cerebri. Et possunt certe in eodem corpore vt plura mala; ita & vnius mali plures causæ & occasiones incidere. Remediorum magna ostēdi posset copia, sed præcipua cura esse debet, vt optima victus ratio insti-

tuatur,&recta ac temperans viuendi norma,ne quæ intemperātia admittatur, aut quicquam intempestiue fiat, in quo maxima sanitatis recuperandæ spes est. Humores vitiosi erunt purgandi, præsertim vere & autumno, & quidem per leuiora medicamenta :præstat sane sæpenumero per leuiora purgationes moliri, quam per magna illa naturæ molesta subinde medicamenta. Leuiora sæpius repeti possunt, vehementiora sæpius dedisse non fuerit ex re. Enumerata sunt familiaria ac optima remedia à clarissimo & excellentissimo domino Doctore Iulio Alexandrino, Imperatoris primario Medico, quæ ad purgationem humoris melancholici & aliorum quoq; crudorum plurimum faciunt. Tā diserte autem ac eleganter de hoc morbo quoq; rescripsit, vt non modo in eius sententiam putauerim eundum, ac omnino acquiescendum, verum & parū quid prætere a adferri posset relictum, iudicandum. Quamobrem & breuiorem me esse contingit. Inter ea autem quæ à domino Doctore Iulio Alexandrino recensita sunt, potest & reponi syrupus de

pomis

pomis regis Saboris, compositio eius extat apud Mesuem in capite de melancholia. Conferre posse videtur confectio ex granis tinctoriis siue Alchermes, quæ lapidem Lazuli admittit, sæpius lotum ac diligenter præparatum. Comendantur hæc non modo ad melancholicas mentis comotiones, verum & ad cordis roborationem. Vtilissima certe compositio, si ea quæ Mesue prædicat præstare queat, cordi tamen plurimum profuisse testari possumus. Quod si autem hæc paranda videatur, præstiterit accipere succum crudum, & grana tinctoria vtraq; seorsum. De sanguinis missione parum videtur superaddendum, hoc vnum tantumodo, tametsi omnes Medici præstantes probum ac laudabilem iudicauerint à vena aperta profluentem, ac veteres, & inter eos Aetius cerebro primario affectu laborante nō existimauerit detrahendum, nisi adsit sanguinis in toto corpore redūdantia, aut præseruationis gratia fiat, tamen statuo & aliorum iudicio, nō præter aut citra vtilitatem magnam videtur futurum, præsertim veris aut autumni tem-

pore ad minus ipso vere, etiamsi non ob aliã, quam præseruationis causam, cuius gratia etiam capite primario affecto admittit Aetius, vt iam scripsimus, sanguinis missionem. Aperienda autem erit vena interna sinistri brachii. Nam in sinistra parte melancholici humoris potissimum sedem esse in confesso est. Nam ad sinistram faciei partem crebrius humores decumbere scribuntur, & in maxillas gingiuasque influere sinistras. Poterit si laudabilis sanguis apparuerit mox supprimi, sin minus probus fuerit, permitti vel aliquandiu effluat, quoad usque sanus videbitur, vires modo ferãt. Repetita vero eadem, si vires vitiosum vna vice educi non patiuntur. Balneum aquæ dulcis ac tepidæ omnino etiã probandum venit, quod non modo à veteribus in hoc morbo laudatur, sed & sæpissime profuisse compertum habemus. Nec displicet vt simplicia in aqua decoquantur, malua, althea, violaria, borrago, & flores chamæmeli, non quidem odorati illius, sed vulgaris, quod vt inquit Galenus, viribus accedit homini familiaribus ac temperatis.

Insi-

Insidendum autem aquæ tepidæ, in qua hæ erunt incoctæ herbæ aliquãto tempore. Non negligenda quoque sunt & alia particularia remedia, vt mala cerebri qualitas corrigatur, & ad meliorem temperaturam reducatur. Instituenda cum & quibus cordi prospiciatur, nec non lieni, si qua parte laboret, vel aliis etiam vnde vapores ac fumi ad cerebrũ attolli queunt ipsum lædentes ac varie afficientes, quorum materiam non dubito præstantibus Medicis cognitam & in numerato esse, quæ omnia facilius si quã alia laboret pars cognoscere poterunt, quam nos absentes ex relatione. Restat de hæmorrhoidibus. quas aperire non inutile esse poterit, si modo iã ante ex ipsis sanguis fluxerit, vel ad minus compertæ fuerunt prominentes. Secus certe difficilimum fuerit ex his sanguinem euocare, & fortasse nec satis tutum id ipsum conari. Quo autem modo, & quibus tandem, satis superq; à Doctore Iulio ostensum, à nobis non est repetendum: hoc tantum, si applicandæ hirudines præsentibus Medicis videntur, expediens fore, vt antea aliquot hebdo-

madis in aqua pura, eâque sæpius mutata asseruatæ sint, prius quam adhibeantur. Et hæc quidem paucula excellentissimi & clarissimi D. Iulii consilio addenda habuimus, quæ vt boni consulantur optamus.

REMBERTVS DODONÆUS MEDICVS CÆSAREVS, &c.

CONSILIVM XIX.

In melancholia hypochondriaca, pro quodam nobili viro.

FLVCTVATIO, quæ percipitur in sinistro hypochondrio, & tristes animi cogitationes, certissima indicia sunt melancholiæ hypochõdriacæ; nondum tamen confirmatæ: Itaque ægrum in bona spe esse iubeo; neq; mæstitiæ suæ indulgere. Interdum aqueus quidem humor colligitur: verum potior pars flatulenta est. Id enim sonitus aurium ostendunt. Curatio in eo consistit, vt calor naturalis contemperetur, & materia ista flatuenta paulatim absumatur. Instituatur autem initio recta victus ratio: quia contemperetur humor melancholicos & pituita absumatur.

Vt

Vt calida omnia noxia sunt, si immoderate iis utatur: ita frigida & acida pessima: cruda omnia vitet? simplicissimo victu vtatur, & non nisi carnibus optime assatis? iuscula item pinguia omnia, & pisces atque lacticinia vitet. Potus sit vinum optimum clarum, & diureticum. Cereuisiam non admisceat, & exiguo potu contentus sit. Ad medicamenta quod attinet, paucissimis eum velim vti, præsertim purgātibus. Nec inter purgantia alia admitterem, quam syrupũ rosatum è rosis damascenis cum aqua roris confectum atq; solutiuum, addita manna diluta infuso foliorum persicorum. Si spes esse posse hæmorrhoides aperiri; probarem aloem rosatam. Verum si nulla, ab hac quoque abstinerem. Ad corroboranda viscera adhiberē trochiscos de absinthio hoc modo:

℞ Trochisc. de absinthio ʒ III.
Rhabarbari electiss. subtiliter incisi, & aqua cinnamomi aspersi ʒ I.

Reformentur pillulæ pro qualibet drachma XV. Accipiat singulis diebus hora vna ante pastum quinq;. Sæpe autem vteretur confectione ex oleo cinnamomi,

atque ex oleo carui. Ita enim & flatus dissipabuntur,& aqueus humor per vrinam expurgabitur. Foris alia medicamenta non adhiberem, quam oleum nostrum stomachale,quo inungeret totum ventrẽ matutinis horis, & diu noctuque sinistro hypochondrio emplastrum nostrum de ladano cum balsamo indico imponeret: atq; per aliquot menses gestaret. Cum nimium humectaretur locus(resudat enim semper ex parte recta quædam aquósitás) detergatur ea, & ceratum iterum applicetur.Spero hæc pauca medicamenta ad curationem, Deo nos benigne adiuuante,satis fore. Itaque vt chymica medicamenta, ac in primis antimonium,tanquã pestem fugiat, neque imperitæ iactantiæ fidem adhibeat,moneo. Cõsilium autem istud,non,vt tua singularis erga me beneuolẽtia,meretur,scriptum : ita tamen cõgitatum & datum, vt sperem recte iudicantem Medicum parum in eo desideraturum. A benignissimo Deo successus petendus, & in omnibus longis morbis tolerantia quædam præstanda. Nullus Medicus ea cito sanat, quæ natura per se sanare

sanare nequit. Anno 1585. 29. Maii.

Olei stomachalis, cuius in hoc consilio mentio facta est, descriptio talis est;

℞ Olei de absinth. ℔.1.
Summitt. absinthii m.1.
Garyophyll.
Santal. citrin. an. ℥ II.
Rosar. rubear.
Macis a. ℥ ß.
Mastic. ℥ II. ß.
Vini odorati ℔ ß.
Coq. s. a. & ponantur in sole.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XX.

In hypochondriaca, siue Melancholia flatulenta.

SCLARISSIME domine Doctor, casum profecto difficilem ac dubiū mihi deliberandum proponit Reuerendus dominus Decanus; vna cum excellentia tua. Tot etiam variis symptomatibus cumulatissimum, vt certe nesciam, à quo rationem curationis instituere ordiar. Nō

ſolum enim flatuoſæ melãcholiæ: verum & aliorum morborum accidentia adeſſe conſpicio, quanquam negari non poteſt flatuoſum illum atribilarium morbum maiorem ſymptomatum partem moueре. Ob id (tua pace ſcriptum putes mi Domine Doctor) ex illo accidentium aceruo extricare me facile non poſſe. Quis enim ex tãta copia ſymptomatum ſtatim pronũciabit, quis proprie ſit morbus Reverendi domini Decani, ſimplex videlicet, an complicatus: cum febri, an ſine febri: cum dominum Decanum coram hactenus non viderim. Quapropter durum erit mihi, & quaſi illotis, vt aiunt, manibus irrumpere. Itaq; quod facturus ac conſulturus ſum, cum maxima proteſtatione agam, nec volo vt Reverendus Dominus Decanus vna tecum meo cõſilio plus pareat, quam quidem ſentiat remedia mea illi profutura. Difficile enim eſt abſentibus mederi, & maxime antea non viſis. Itaq; à me nihil certi poterit ſtatui. Faciam tamẽ officium boni viri, & quæ mihi videbuntur in rem ægri futura, literis tibi communicabo. Principio operam dabis

vt

Vt victus ratio proba domino ægroto instituatur. In illa enim credo cardo curationis vertitur, nec dubito quin iam pridem hoc ipsum à tua præstantia factũ sit. Deinde obseruãdum an febris subsit, vel abscessus aliquis in venis mesaraicis, cum magna ex parte malũ hoc, vel ab obstructionibus, vel apostemate pendere consueuerit. Iis enim præsentibus non dubitarem secandam esse venam, vel nigram, vel iecorariam, nec tamẽ sanguis multus emittendus erit. Tertio, quod quæris an cruditati potius, aut appilationibus sit insistendum: Respõdeo pro iudicii mei tenuitate, quod & cruditati & obstructioni simul obuiandum sit, cum sint medicamenta quæ utrumque præstare possunt. Exhiberem igitur aliquot diebus mane diei quatuor aut quinque cochlearia ex mistione syruporũ sequentiũ, quæ habent

℞ Mellis rosac.
Mastic.
Oxymell. simplic.
Syrup. violac.
de cichor. cum Rhabarb.
an. quart. j.

Aq.artemiſ.
Cichor.an.℥ II.

Miſc.de iſta miſtura exhiberē quinquies, vel, ſi non officeret ventriculo ſexies. Dormiat poſt vſum Dominus ægrotus ad libitum, atq; horis tribus aut quatuor ieiunabit, poſtea ientaculum ſiue prandium ſumet. Abſumpto digeſtiuo exhiberem aliquid mannæ cum leui infuſione Rhabarbari, non negligendo ventris aſtrictiones, quæ in hoc genere morbi ſæpè vſu venire ſolent. Tertio, emendarem iecoris caliditatem vſu vnguenti ſantalini. Quarto, poſt ſumptum cibum offerrē aliquid de Diciton.ſimpl. aut de puluere ſubſcripto.

℞ Cinnamom.interior.opt.℥ß.
Sem.coriand.præparat.ʒ II ß.
Carnium citonior. ſicc.
Zinziberis albi a.ʒ II.
Sem.aniſ.
ſenicul.
carui,
Cortic.malor.citri a.ʒ I.ß
ſem.citri excortic.℈ IIII.
cortic.arantior.ʒ I.

Galen-

Galangæ ℈ IIII.
Margarit. oriental. præp.
Maceris an. ℈ II.

Puluerisentur singula & misceantur, mixtis add.

Syr. Diatrion santal. ℈ II.
Sacchari ad pondus omnium, & f.
Tragæa.

Δόσις quantum quatuor digitis leuari poterit. Roborabit enim ventriculum stomachum obserendo, ac concoctionis facultatem cõfortando, & flatus carminando: ventriculum etiam cerato aliquo tegerem, ventrem clysteribus fluidum tenerem, & quando per debilitatem fieri posset, ipsum in balneum aquæ, non multum calidæ ponerem, ab exitu dorsi spinam oleo violaceo inũgerem. Vomitum etiam quandoque tentarem, & maximè si ad vomendum assuetus foret, atque ita illis remediis curationem morbi denuo tentarem. Postea ad alia, & magis appropriata medicamenta transire poterimus, & maxime si me prius certiorem feceris, an aliquid fructus ex illis Dominus ægrotus noster perceperit. Reliqua ad

autem animaliũ functionum hæc deprauatio sine melancholia, vel cerebro primario male affecto, vel toto corpore melancholico succo redundante, vel etiam per cõsensum tantumodo alia aliqua parte laborante, à qua ad sensuum instrumẽta vapores ac fumi efferantur. Sed præsens melancholia ex primaria cerebri affectione superuenisse videtur, siquidem cerebrum natura sua frigidius ac siccius ad receptionem humoris melancholici maxime videtur expositum, tẽperamento sibi similem. Tale autem esse cerebri temperamentũ ostendunt, quæ ab excellentissimis dominis Doctoribus prolixe sunt exposita. Accedit & substantiæ cerebri crassities quædam, quæ non parum ad melancholiam fouendã confert. Tarditas certe ingenii & difficilis cõprehensio crassitiem substantiæ cerebri demonstrans; veluti tenacitas memoriæ eius stabilitatem, vt quidem Galenus in arte medicinali. Coniungitur his malis cerebri quædam à primis annis debilitas ex morbo videlicet comitiali, cui in prima ætate obnoxius fuit, qui tandem in melancho-

liam

liam permutatus cerebri debilitatẽ permanentem satis ostẽdit. Iam & intemperata victus ratio non parum huc contulit. In aere concluso ac fœtente olim diu versatus est, vino dulci ac potenti abunde vsus, & crassa etiam cereuisia intemperanter & intempestiue sese expleuit. Nam vt Aetius testatur non modo à natiua, sed ex mala ac intemperata victus consuetudine melancholicum quoque temperamentum contrahitur. Atque hæc quidem eo faciunt, vt cerebrum præcipue, primario & per essentiã affectum sciamus. Quanquam tamen & aliunde nonullos fumos efferri contingat, per quos & intenditur quandoq; vel varie permutatur morbus. In qua etiam sentẽtia excellentissimi domini Doctores sese esse ostendunt, & verba & autoritatem adferentes, vbi temperaturam cordis melancholicam, corrumpente tandem temperaturam cerebri. Et possunt certe in eodem corpore vt plura mala; ita & vnius mali plures causæ & occasiones incidere. Remediorum magna ostẽdi posset copia, sed præcipua cura esse debet, vt optima victus ratio insti-

tuatur,&recta ac temperans viuendi norma,ne quæ intemperãtia admittatur, aut quicquam intempestiue fiat, in quo maxima sanitatis recuperandæ spes est. Humores vitiosi erunt purgandi, præsertim vere & autumno, & quidem per leuiora medicamenta :præstat sane sæpenumero per leuiora purgationes moliri, quam per magna illa naturæ molesta subinde medicamenta. Leuiora sæpius repeti possunt, vehementiora sæpius dedisse non fuerit ex re. Enumerata sunt familiaria ac optima remedia à clarissimo & excellentissimo domino Doctore Iulio Alexandrino, Imperatoris primario Medico, quæ ad purgationem humoris melancholici & aliorum quoq; crudorum plurimum faciunt. Tã diserte autem ac eleganter de hoc morbo quoq; rescripsit, vt non modo in eius sententiam putauerim eundum, ac omnino acquiescendum, verum & parũ quid præterea adferri posset relictum, iudicandum. Quamobrem & breuiorem me esse contingit. Inter ea autem quæ à domino Doctore Iulio Alexandrino recensita sunt, potest & reponi syrupus de

pomis

pomis regis Saboris, compoſitio eius extat apud Meſuem in capite de melancholia. Conferre poſſe videtur confectio ex granis tinctoriis ſiue Alchermes, quæ lapidem Lazuli admittit, ſæpius lotum ac diligenter præparatum. Com̃endantur hæc non modo ad melancholicas mentis com̃otiones, verum & ad cordis roborationem. Vtiliſſima certe compoſitio, ſi ea quæ Meſue prædicat præſtare queat, cordi tamen plurimum profuiſſe teſtari poſſumus. Quod ſi autem hæc paranda videatur, præſtiterit accipere ſuccum crudum, & grana tinctoria vtraq; ſeorſum. De ſanguinis miſſione parum videtur ſuperaddendum, hoc vnum tantum̃odo, tametſi omnes Medici præſtantes probum ac laudabilem iudicauerint à vena aperta profluentem, ac veteres, & inter eos Aetius cerebro primario affectu laborante nõ exiſtimauerit detrahendum, niſi adſit ſanguinis in toto corpore redũdantia, aut præſeruationis gratia fiat, tamen ſtatuo & aliorum iudicio, nõ præter aut citra vtilitatem magnam videtur futurum, præſertim veris aut autumni tem-

pore ad minus ipſo vere, etiamſi non ob aliã, quam præſeruationis cauſam, cuius gratia etiam capite primario affecto admittit Aetius, vt iam ſcripſimus, ſanguinis miſſionem. Aperienda autem erit vena interna ſiniſtri brachii. Nam in ſiniſtra parte melancholici humoris potiſſimum ſedem eſſe in confeſſo eſt. Nam ad ſiniſtram faciei partem crebrius humores decumbere ſcribuntur, & in maxillas gingiuaſque influere ſiniſtras. Poterit ſi laudabilis ſanguis apparuerit mox ſupprimi, ſin minus probus fuerit, permitti vel aliquandiu effluat, quoad uſque ſanus videbitur, vires modo ferãt. Repetita vero eadem, ſi vires vitioſum vna vice educi non patiuntur. Balneum aquæ dulcis ac tepidæ omnino etiã probandum venit, quod non modo à veteribus in hoc morbo laudatur, ſed & ſæpiſſime profuiſſe compertum habemus. Nec diſplicet vt ſimplicia in aqua decoquantur, malua, althea, violaria, borrago, & flores chamæmeli, non quidem odorati illius, ſed vulgaris, quod vt inquit Galenus, viribus accedit homini familiaribus ac temperatis.

Inſi-

Insidendum autem aquæ tepidæ, in qua hæ erunt incoctæ herbæ aliquãto tempore. Non negligenda quoque sunt & alia particularia remedia, vt mala cerebri qualitas corrigatur, & ad meliorem temperaturam reducatur. Instituenda cum & quibus cordi prospiciatur, nec non lieni, si qua parte laboret, vel aliis etiam vnde vapores ac fumi ad cerebrũ attolli queunt ipsum lædentes ac varie afficientes, quorum materiam non dubito præstantibus Medicis cognitam & in numerato esse, quæ omnia facilius si quã alia laboret pars cognoscere poterunt, quam nos absentes ex relatione. Restat de hæmorrhoidibus. quas aperire non inutile esse poterit, si modo iã ante ex ipsis sanguis fluxerit, vel ad minus compertæ fuerunt prominentes. Secus certe difficilimum fuerit ex his sanguinem euocare, & fortasse nec satis tutum id ipsum conari. Quò autem modo, & quibus tandem, satis superq; à Doctore Iulio ostensum, à nobis non est repetendum: hoc tantum, si applicandæ hirudines præsentibus Medicis videntur, expediens fore, vt antea aliquot hebdo-

Vt calida omnia noxia sunt, si immoderate iis utatur: ita frigida & acida pessima: cruda omnia vitet? simplicissimo victu vtatur, & non nisi carnibus optime assatis? iuscula item pinguia omnia, & pisces atque lacticinia vitet. Potus sit vinum optimum clarum, & diureticum. Cereuisiam non admisceat, & exiguo potu contentus sit. Ad medicamenta quod attinet, paucissimis eum velim vti, præsertim purgãtibus. Nec inter purgantia alia admitterem, quam syrupũ rosatum è rosis damascenis cum aqua roris confectum atq; solutiuum, addita manna diluta infuso foliorum persicorum. Si spes esse posse hæmorrhoides aperiri, probarem aloem rosatam. Verum si nulla, ab hac quoque abstinerem. Ad corroboranda viscera adhiberẽ trochiscos de absinthio hoc modo:

℞ Trochisc. de absinthio ʒ III.
Rhabarbari electiss. subtiliter incisi, & aqua cinnamomi aspersi ʒ I.

Reformentur pillulæ pro qualibet drachma xv. Accipiat singulis diebus hora vna ante pastum quinq;. Sæpe autem vteretur confectione ex oleo cinnamomi,

atque ex oleo carui. Ita enim & flatus dissipabuntur, & aqueus humor per vrinam expurgabitur. Foris alia medicamenta non adhiberem, quam oleum nostrum stomachale, quo inungeret totum ventrẽ matutinis horis, & diu noctuque sinistro hypochondrio emplastrum nostrum de ladano cum balsamo indico imponeret: atq; per aliquot menses gestaret. Cum nimium humectaretur locus (resudat enim semper ex parte recta quædam aquósitas) detergatur ea, & ceratum iterum applicetur. Spero hæc pauca medicamenta ad curationem, Deo nos benigne adiuuante, satis fore. Itaque vt chymica medicamenta, ac in primis antimonium, tanquã pestem fugiat, neque imperitæ iactantiæ fidem adhibeat, moneo. Cõsilium autem istud, non, vt tua singularis erga me beneuolẽtia, meretur, scriptum: ita tamen cogitatum & datum, vt sperem recte iudicantem Medicum parum in eo desideraturum. A benignissimo Deo successus petendus, & in omnibus longis morbis tolerantia quædam præstanda. Nullus Medicus ea cito sanat, quæ natura per se

ſanare nequit. Anno 1585. 29. Maii.

Olei ſtomachalis, cuius in hoc conſilio mentio facta eſt, deſcriptio talis eſt;

♃ Olei de abſinth. ℔.1.
Summitt. abſinthii m.1.
Garyophyll.
Santal. citrin. an. ℥ ii.
Roſar. rubear.
Macis a. ℥ ß.
Maſtic. ℥ ii. ß.
Vini odorati ℔ ß.
Coq. ſ.a. & ponantur in ſole.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XX.

In hypochondriaca, ſiue Melancholia flatulenta.

SCLARISSIME domine Doctor, caſum profectò difficilem ac dubiũ mihi deliberandum proponit Reuerendus dominus Decanus; vnà cum excellentia tua. Tot etiam variis ſymptomatibus cumulatiſſimum, vt certe neſciam, à quo rationem curationis inſtituere ordiar. Nõ

ſolum enim flatuoſæ melãcholiæ: verum & aliorum morborum accidentia adeſſe conſpicio, quanquam negari non poteſt flatuoſum illum atribilarium morbum maiorem ſymptomatum partem mouere. Ob id (tua pace ſcriptum putes mi Domine Doctor) ex illo accidentium aceruo extricare me facile non poſſe. Quis enim ex tãta copia ſymptomatum ſtatim pronũciabit, quis proprie ſit morbus Reverendi domini Decani, ſimplex videlicet, an complicatus: cum febri, an ſine febri: cum dominum Decanum coram hactenus non viderim. Quapropter durum erit mihi, & quaſi illotis, vt aiunt, manibus irrumpere. Itaq; quod facturus ac conſulturus ſum, cum maxima proteſtatione agam, nec volo vt Reverendus Dominus Decanus vna tecum meo cõſilio plus pareat, quam quidem ſentiat remedia mea illi profutura. Difficile enim eſt abſentibus mederi, & maxime antea non viſis. Itaq; à me nihil certi poterit ſtatui. Faciam tamẽ officium boni viri, & quæ mihi videbuntur in rem ægri futura, literis tibi communicabo. Principio operam dabis

vt

Vt victus ratio proba domino ægroto instituatur. In illa enim credo cardo curationis vertitur, nec dubito quin iam pridem hoc ipsum à tua præstantia factū sit. Deinde obseruādum an febris subsit, vel abscessus aliquis in venis mesaraicis, cum magna ex parte malū hoc, vel ab obstructionibus, vel apostemate pendere consueuerit. Iis enim præsentibus non dubitarem secandam esse venam, vel nigram, vel iecorariam, nec tamē sanguis multus emittendus erit. Tertio, quod quæris an cruditati potius, aut appilationibus sit insistendum: Respōdeo pro iudicii mei tenuitate, quod & cruditati & obstructioni simul obuiandum sit, cum sint medicamenta quæ utrumque præstare possunt. Exhiberem igitur aliquot diebus mane diei quatuor aut quinque cochlearia ex mistione syruporū sequentiū, quæ habent

♃ Mellis rosac.
Mastic.
Oxymell. simplic.
Syrup. violac.
de cichor. cum Rhabarb.
an. quart. j.

Aq.artemiſ.
Cichor.an.℥ II.

Miſc.de iſta miſtura exhiberẽ quinquies, vel, ſi non officeret ventriculo ſexies. Dormiat poſt vſum Dominus ægrotus ad libitum, atq; horis tribus aut quatuor ieiunabit, poſtea ientaculum ſiue prandium ſumet. Abſumpto digeſtiuo exhiberem aliquid mannæ cum leui infuſione Rhabarbari, non negligendo ventris aſtrictiones, quæ in hoc genere morbi ſæpè vſu venire ſolent. Tertio, emendarem iecoris caliditatem vſu vnguenti ſantalini. Quarto, poſt ſumptum cibum offerrẽ aliquid de Diciton.ſimpl. aut de puluere ſubſcripto.

℞ Cinnamom.interior.opt.℥ß.
Sem.coriand.præparat.ʒ II ß.
Carnium citonior. ſicc.
Zinziberis albi a.ʒ II.
Sem.aniſ.
fenicul.
carui,
Cortic.malor.citri a.ʒ I.ß
ſem.citri excortic.℈ IIII.
cortic.arantior.ʒ I.

Galen-

Galangæ ℈ IIII.
Margarit. oriental. præp.
Maceris an. ℈ II.
Pulueriſentur ſingula & miſceantur, mixtis add.
Syr. Diatrion ſantal. ℈ II.
Sacchari ad pondus omnium, & f. Tragæa.

Δόσις quantum quatuor digitis leuari poterit. Roborabit enim ventriculum ſtomachum obſerendo, ac concoctionis facultatem cõfortando, & flatus carminando: ventriculum etiam cerato aliquo tegerem, ventrem clyſteribus fluidum tenerem, & quando per debilitatem fieri poſſet, ipſum in balneum aquæ, non multum calidæ ponerem, ab exitu dorſi ſpinam oleo violaceo inũgerem. Vomitum etiam quandoque tentarem, & maximè ſi ad vomendum aſſuetus foret, atque ita illis remediis curationem morbi denuo tentarem. Poſtea ad alia, & magis appropriata medicamenta tranſire poterimus, & maxime ſi me prius certiorem feceris, an aliquid fructus ex illis Dominus ægrotus noſter perceperit. Reliqua ad

morbum flatuosum, eius causas, & victus rationem pertinentia, inuenies, vt nosti, apud Galenum de locis affectis libro tertio. Vale vir optime, atque idem doctissime. Ex Dresda 3. Calend. Decemb. Anno 1570.

IOHAN. NEFIVS MEDICVS DVCIS SAXONIÆ, &c.

CONSILIVM XXI.

In eadem affectione, pro eodem.

SQVANTVM coniicere possum, reuerende domine Decane, ex iis symptomatibus, quibus dominatio tua affici solet, eo ipso vexatur morbo, quem antiqui hypochondriacam, siue melancholiam flatuosam vocauere, siquidem rugitus circa ventriculum, dolor quandoq; in ipso ventriculo, ructus acidi & virosi, artigo, tristitia, mœror & timor, auriū sonitus, & interceptio vocis, de quibus omnibus tua dominatio conqueritur, clarissime demonstrant, affectu hypochondriaco ipsam procul dubio laborare. Probatur hoc facile Aetii autoritate, qui libro VI. cap. IX. sic habet: At vero tertia melan-

choliæ

cholię ſpecies, ſiue differentia, cuius principium ę ventre oriri diximus, & quæ affectio precordialis ſiue hypochondriaca appellatur, ſæpe ex relatis cognoſcitur. Primum quidem incipiunt ventris ſymptomata, velut ſunt inflationes, rugitus, ructus acidi aut viroſi, & quod morbus ex ſeceſſibus, vomitibus ac ructibus alleuiatur, & quod ipſi ægri ſemper percipiunt vexationes circa præcordia. Cum igitur hæc melācholia oritur, primum ſymptoma circa ventriculum apparet, cumque maior ſit affectio, eam melācholicæ perturbationes comitantur. Leuatur autem æger aluiſubductionibus, vomitionibus, concoctione & rugitibus. Hypochondriacum morbum, etiam flatuoſum appellamus ſymptomataque eius eſſe dicimus, triſtitiam & timorem. Quemadmodum igitur quibuſdam ſæpe ex ventre fuliginoſa, quibuſdam autem fumoſa, aut omnino craſſiorum humorum exhalatio ſurſum fertur, veluti in ſuffuſos oculos habentibus, aliqua ob oculos verſantur: eodem etiam modo nunc cum melācholica exhalatio ad cerebrum, velut fuligo,

& fumus fertur, sequitur mentis & sensuum caligo, vertigo capitis, & flatuum sonitus circa aures, & alijs quidē caput plenū esse ac graue videtur, aliis vero leue & vacuum. His subscribit etiam Auicenna, qui affectum hunc Mirachialem appellat, sic inquiēs. Signa vero Mirachiæ melancholiæ sunt, grauitas circa ventrem, attractio ad superiora, nausea, mœstitia animi, corruptio digestionis, eructatio acetosa, sputum humidum, rugitus exitus ventositatis, inflatio, dolor stomachi, dolor quandoque inter scapulas, & proprie post cibum, & palpitatio circa ventrem & intestina; quibus apertissime cognoscitur dominationem tuam nullo alio laborare affectu, quam hypochondriaco flatu, qui causatur à cruditatibus, qui continuo in eius ventriculo gignuntur, tum fortasse propter nimias curas & continua studia & vigilias, quæ cibi concoctionem impediunt, tum etiam fortasse ex nimia cibi & potus quantitate, quam cum calor innatus conficere non possit, fit inde vt cruditates remaneant. Ideoque recte ab Aetio dictū est lib. 6. ca. 9. huius & morbi

causam

causam esse cruditates, his verbis: Principium eiusmodi melancholiæ fit plerumque ex cruditatibus. Flatus enim ipsis succedunt multi, qui facile eleuantur, & circa præcordia diutius morantur, & ructus inde acidi cõsequuntur, nullo etiam eiusmodi cibo accepto. Quod autem ex vigiliis, studiis, & solicitudinibus eiusmodi oriuntur affectus & symptomata, testatur grauissimus autor Galenus lib. 3. cap. 7. de locis affectis, sic inquiens: Homines fiunt melancholici, maxime quando & in vigiliis multis, & multis laboribus, & solicitudinibus fuerint circumuenti. Et lib. 6. cap. 7. eiusdem voluminis: De Flatuoso vero, inquit, vocato hypochondriaco morbo, nemo non dixit, quod tristitiã, desperationem, mœstitiamque inducat, quippe laborantes eiusmodi morbo, post cruditates dictis accidentibus multo vehementius infestantur, ac plures ex ipsis splenetici quoq; fiunt. Atqui quo pacto, & qua via hi flatuosi vapores in caput ferãtur, & symptomata, de quibus diximus, moneant, facile sciri potest, ex libris de melancholia Ruffi, Galeni, & Posidonii,

ac etiam ex Aetii locis superius relatis, vbi sic habetur: Lata autem est via, qua hi vapores in caput exhalare possunt. Nam ventriculi os, quomodocunq; affectum, facile in consensum trahit cerebrum ob cognationem per maximos duos neruos, qui ex superioribus ad ipsum deferuntur. Quo fit, vt mirum non sit ex hoc vapore in caput delato, vt excitentur vertigines, aurium sonitus, mœrores, melancholiæ, & alia quæcunque symptomata, quæ dominationem tuam vexāt. Sed de morbo, causis, & symptomatibus hactenus. Reliquum est, vt nũc de morbi curatione disseram, qui nullo modo tolli aut sanari potest, nisi prius auferatur causa, à qua cruditates fiunt ac gignuntur. Ideoque recte scribit Galen. lib. 7. Meth. medendi, c. 10. Illud, inquiens, pro comperto habendum, non posse ad perfectionem vllum affectum sanari, manente adhuc ipsa, vnde natus est, causa. Hinc itaque nos inprimis tollere oportet, & ab ea curationē ipsius incipere, Galenum secutos, qui lib. 4. Meth. med. cap. 4. inquit: In omnibus, in quibus adhuc causa manet, omnino ab

hac

hac inchoanda curatio est. Et lib. 3. cap. 1, de comp. medicamentorum secundum loca, Medicus, ait, omnino adniti debet, vt sciat quæ, qualis, & quanta sit morbi causa, & vbi maxime ea dominetur, quo videlicet & curationem vnicuiq; conuenientem faciat. Ideoq; Reuerende Domine cũ horum symptomatum, ac ipsius morbi causæ ex cruditatibus originẽ ducant, cruditates vero aut ex vigiliis, aut ex lõgis studiis, aut cogitationibus, aut continuis curis, aut ex erratis in cibo & potu proveniant, operæ pretium esse videtur, causas hasce primũ auertere, & optimum in primis vitæ regimen instituere, cæteraque, de quibus diximus, corrigere. Hæc itaque à nobis postquam fuerint præscripta, si seruabit Dominatio tua, nihil mihi profectò verendum est, quin tandem pristinæ sanitati restitui possit. Nam permanente huiusce affectus causa principali, nõ solum sanare hanc est impossibile; sed proculdubio credendum indies; & morbum ipsum, & symptomata auctum iri. Quandoquidem cum morborum, symptomatumque sit proprium, corpus red-

dere imbecillum, quin etiam calorem innatum, aliter euenire non poteſt, quam quod oppreſſa natura in deterius decidat corpus. Imo non parum vtendum eſt, ſi curatio negligatur, ne ventriculus, caput, & reliqua corporis membra adeo reddãtur imbecilla, vt poſthac velimus cauſam illam priorem auferre, non ita facile noſtra illa roborari, & in priſtinum reſtitui poſſint, quod ſubinde ex ſeipſis generent cruditates & excrementa, quo fit vt lib. 3. cap. 5. de loc. aff. ſcripſerit Galenus de hac re, his verbis: Nos haudquaquam latere debet, vbi per conſenſum quis afficitur, fiatque adhuc affectio, quod deletis efficientibus ipſam cauſis, ipſa quoque ſimul deletur. Si vero conſentientes partes permanentem iam habuerint diſpoſitionem, quãuis quieſcat cauſa efficiens, ipſa tamen permanebit affectio. Hæc ille. Ideoque cauſæ prouidendum eſt, antequam morbus magis inualeſcat. Et quoniam, vt Galenus inquit, lib. de remed. facile parabilibus, cap. 40. Primus & præcipuus curandi ſcopus in omnibus ægritudinibus conſiſtit in exacta victus ratione,

ne, quæ non complectitur solum potũ & cibum: sed etiam aerem, somnum & vigiliam, repletionẽ & euacuationem corporis, exercitationem & otium, omniaq; animi accidentia. De his, quantũ sat fuerit, inprimis dicam, deinde vero de medicamentis, quibus eam vti oportebit. Sit itaque aer ad calidum & humidum vergens, non vmbrosus, sed lucidus, & suaue olens, quod arte etiã fieri potest, incensis in domo odoramẽtis. Præstat ad hoc præ cæteris styrax, quam calamitam vocant. Nam si fabæ quantitas ignitis leuiter prunis iniiciatur, suauem admodum spirat odorem. Fugiendus etiam est aer nebulosus & densus, quin etiã pluuiosus. Venti quoque Septentrionales vitandi. Locus habitationis respiciat Orientẽ, vel Meridiem, sitque lucidus, elegans, latus & amplus, nullique putredini obnoxius, neque latrinis adhærens. Cibus deinde esse debet concoctu facilis, & qui bene nutriat, ac in probum vertatur sanguinem, paucis relictis excrementis boni succi, mediocriter humidus ac flatus expers. Pane nullo alio vtatur, quam ex pura tritici farina

confecto, siquidem, vt Galenus lib. 7. de loc. aff. de melancholico morbo agens scriptum reliquit, subfurfuraceus panis, & qui ex siligine paratur, turbidum & melancholicum efficit sanguinem. Præterea panis ipse, quo vesci debet Dominatio tua, probe cum coctus, tum fermentatus esse debet, omniq; vacare graueolentia, ac ingrato sapore. Carnes petãtur ex quadrupedibus domesticis iunioribus, nempe, hœdinis, agninis, vitulinis, lacte nutritis. Iuuenum veruecum quã maxime etiam ad rem faciunt, item iuuenum gallinarum, gallinaceorum pullorum, ac etiam caponum iuuenum. Præstant idem perdices, attagenę, turtures, phasiani, turdi ceteraque auicularum genera, quæ in montibus, vineis, syluis, sepibus, & campestribus locis victitant. Contra vero improbantur bubulæ, suillæ, caprinæ, hircinæ, ceruinæ, leporinæ ac ceterorum syluestrium quadrupedum, quamuis lepusculi iuuenes, ceruorum, & capreolorum hinnuli potius cõcedi possunt, quam prohiberi. Etenim tenella ætas humidiore succo, teneriore q; pulpa referta est, quo

fit

fit vt hœdinæ,& vitulinæ, carnes præ cæteris probentur : bouinæ vero & hircinæ improbentur. Ex auibus prohibentur nō modo ſeneſcentes;ſed etiam omnes, quæ in paludibus & aquis victitant, vt anſeres, anates, mergi, & huiuſmodi generis aliæ. Carnes ſale aſſeruatæ, præſertim ſuillæ ac bubulæ,&fumo exiccatæ,haudquaquam ſunt admittendæ, quod non ſolum ægerrime cōcoquantur; ſed quod inidoneum ſuppeditant alimentum,ſanguinemq; inficiant. Elixæ carnes longe magis præſtabunt,quam aſſæ, cum quod facilius concoquātur,& diſtribuantur in corpus,tum etiam quod humidius conferunt alimentum, id quod maxime expetit huiuſmodi morbi natura.Atqui non ob hoc interdicam, vt aſſas omnino carnes dimittat, quæ etſi non tam frequenter ,concedi tamen poſſunt, præſertim ſi potius interna eorum pulpa deuoretur, quam exterior ſuperficies ignis calore torrida; ſiccaque admodum reddita.Poſſunt eædem in iuſculo decoqui additis ouis, petroſelini foliis,dulcibus pomis & ſaccharo, vel dulci vino cum croci & cĩnamomi momento,

ceteris relictis aromatibus. Pisces optimæ carnis, vt sunt, qui in sabulosis, saxosisque fluminibus capiuntur, securè cōcedi possunt: cōtra vero improbantur, qui in cœnosis capiuntur piscinis, & stagnantibus aquis. Item salsi pisces, vel sole & fumo siccati, nullo pacto sunt admittendi, sicut nec cancri, nec cochleæ, nec conchylia quæuis alia, quod glutinosas habeant carnes. Oua gallinarum recentia pręstabunt, quocunq; modo parata, præterquam dura, vel in butyro frixa, aut quovis alio modo assa. Hisce enim modis parata concoctu difficilia sunt, & nitorosas excitant exhalationes & eructationes. Lac tametsi sua facultate conueniat, cum tamen facile putrescat, & flatus gignat, minime conuenire videtur, nisi raro, & quod cæteris præcedat cibis, adiecto ei saccharo q. s. ad dulcorandum. Id quod de cibis omnibus intelligi debet, qui ex lacte parantur. Caseus quicunque præsertim vetus & cariosus, in melancholicis affectibus Galeno maxime improbatur. Etenim, vt ipse inquit, vbi forte fortuna in corpore fuerit supercalefactus facile quidem huiusmodi atribi-

atribilarium parit humorē. Ex arborum & plantarum fructibus, etsi omnes fere facile corruptioni, putredinique sunt obnoxii; præsertim vbi secundis mensis, ingesto iam priore cibo, deuorentur, vt in hisce regionibus plerunque fieri solet, ij tamen concedi possunt, qui dulcedine sunt præditi, vt dulcia cerasa, dulcia mala, dulcia pruna, quinetiam vuæ dulces & probè maturæ. Nec omnino prohibeo dulcium odoratorumq; melopeponum vsum, modo parcius id fiat, & in ipsius prandii, aut cœnæ principio, antequam alius cibus ingeratur, quod etiam de fructibus, quorum statim supra meminimus, fuerit intelligendum. Vuæ etiam passæ, tam paruæ, quam crassæ, quæ huc ex Italia cōuehuntur, maxime ad rem faciunt, tam in cibis appositæ, quam per se deuoratæ. Nec improbauerim pingues & siccas ficus, præsertim si cum dulcibus amygdalis deuorentur. Præstant hæ quoque in iusculis appositæ, quin etiam earum lacteus cremor, cū saccharo paratus. Conceduntur vtiliter pinei nuclei, ac etiam pistacia, quæ ad ventriculum, & iecur ro-

borandum commode sumuntur. Cappares quoque sale asseruatæ, prius in aqua calida maceratæ, & subinde elixatæ, ac oleo, saccharo, aceto, vuis passis mixtæ vtiliter conceduntur. Contra vero fructus omnes vitari debent, qui sapore acido, aut austero habentur, & qui perfectam non sunt adepti maturitatem. Quinetiam castaneæ, ponticæ nuces, (quas auellanas vocant) iuglandes tam recentes, quam siccæ, fraga, mora, persicca & huiusmodi vitanda sunt. At pyra, quæ grato sunt sapore, ac etiam cotonea mala, sub prunis tosta, ac saccharo, vel anisi semine cõspersa, vtiliter statim à prandio, vel à cœna sumi possunt, eo quod ventriculum roborent, & vapores caput petentes reprimãt. Sed hisce deuoratis nullo vtendũ est potu, nec vini, nec cereuisiæ. Mala autẽ aurantia vocata, quin etiam punica dulcia, commode permittuntur, austera vero vel acida contra. Abstinendũ est à cucumeribus, tam recentibus, quam muria asseruatis, quod glutinosum, crassum & viscidum conferant alimentum. Ex cerealib. conceditur vtiliter hordeum, in carnis

tamen

tamen iure decoctum, ac etiam oryza ex eodem iure, vel lacteo dulcium amygdalarum cremore parata, & ad lentorē vsq; decocta. Cætera vero vt miliū, panicum, auena, & si quæ sunt alia omnia improbantur. Tollenda è medio sunt omnia legumina, nempe, pisa, lentes, fabæ, ac etiam cicera, quamuis cicerum rubeorum iusculum vtiliter concedi possit, relictis in olla ciceribus. Olera, præter borraginem, buglossum, petroselinum, intybum, feniculum, anethum, melyssophyllum, omnia vitari debent, & præsertim brassica omnis generis, tam recens, quàm muria asseruata. Improbantur napi, rapa, pastinacæ, & radicum genera omnia. Item cæparum omnia genera, alliū, raphanus, & maxime syluestris, quē Germani *Kren* vocant, quod suo acri admodū succo sanguinem & iecur inflammet, & propemodum adurat, quemadmodum etiam sinapis, quæ dulci vino ad intinctus admisceri solet plurimum in Germania. Probantur asparagi, & lupulorum germina, quæ sanguini expurgando idonea prosus habentur. Nā aqua prius elixata, & deinde sale,

oleo & aceto conſperſa, præter id quod guſtui non habentur ingrata, melancholicos mirifice iuuant. Sacchari & mellis vſus ad ciborum cōdimenta vtiliter comprobatur. Non improbatur butyrum, ſi tamen plus, quam par ſit, non profundatur, quod etiam de olei vſu ſubaudire oportet; atqui inhibendum eſt oleū quodcunque aliud, quod ad cibos, ex papaueris, lini & canabis ſemine parari ſolet, quod viſcoſus & ater generetur, inde ſanguis, mensque & ingenium deſtruantur. Aceto vehementer acri parcius fuerit veſcendum, niſi eius refringatur acuitas paſſis vuis, in eo infuſis, aut cum eo ferueфactis, vel admiſto melle ſaccharove. Aromatum nimius vſus maxime vitari debet, quod ſua acredine, calidaque & ſicca facultate, iecur, & ſanguinem pluſquam par ſit excalefaciant. Proinde iis parcius vtendum, præſertimque pipere ac zinzibere. Cinnamomū tamen prę cæteris omnibus erit præſtantius, quod reliquis minus calefaciat & exiccet, & præſertim ſi ſaccharum admiſceatur. Admitto crocum, ſed tamen non largius admodum cibis & iu-
ſculis

ſculis iniectum. De bellariis autem, quæ in hac regione ſecundis menſis apponi ſolent, vt placentæ, quarum varia hîc viſuntur genera, tantum hoc dicam, quod cum plurimum ex triticea conficiantur farina, cui fortaſſe nullũ acceſſit fermentum, ſintque contumacia, iis potius parcendũ putarem, vel modice veſcendum, quod minime eorum vſum admittere auſim. Quorum loco placeret multo magis, vt dominatio tua veſceretur noñullis cõfectionibus, quæ ventriculũ ac cerebrum iuuarent, cuiuſmodi ſunt, coriandri, aniſi, & feniculi ſemina, de quib. alternatim ſumere poſſet à prãdio, vel à cœna, vnum aut alterum cochlear, aut etiam ſequentem puluerem:

℞ Sem. aniſ.
fenicul.
coriandr.
Rotul. diarrhod. abbat.
Diatrion ſantal.
Manus Chriſti non perlati an. ℥ j.
Miſc. f. puluis.

Cæterum potus vinum album potius ſit, quàm rubrum, tenue, nõ potens, ſubdul-

ce,non austerũ,quo tamen vti debet parcius. Cereuisiæ autẽ potus, cum crassum turbidũq; generet sanguinẽ (tametsi antea fortassis dominationi tuę fuerit in frequenti vsu, nunc tamen cum melancholicus iste accesserit affectus) cur mihi probandus esset,plane non video. Abstineat à vinis potentibus, à crassis & turbidis, siquidẽ hæc melancholicum gignunt sanguinem; illa vero iecur excalfaciunt, & cerebrum lædunt. Hactenus de potu & cibis, qui etsi probi sunt succi, mihique comprobati: si tamen plus eorum ingeratur, quam par sit, & ventriculi vis tolerare valeat,nocẽt, & cruditates generant. Vt autem is euitetur error, scopo ac regula quadam opus est,proinde comedat dominatio tua bis in die tãtum, statutis quibusdam horis,nec interdiu quicquam ciborum assumat, cum nihil deterius sit, quam incoctum alimentum in concoctis cibis adiungere, & inter prandium cœnamque interponat semper spacium septem horarũ. At si fortasse septem à prandio peractis horis, aliquam adhuc perciperet in ventriculo grauitatem, & nullus fuerit

fuerit cibi appetitus, non nisi optimum erit, vna hora vel altera cœnam prorogare, quousque grauitas cedat, & appetitus redeat, quod si non successerit, nil sane melius, quam cœnam omnino intermittere. Præterea meminisse oportet, vt inter edendum, cibum probe cominuat, dentibusque diutius conficiat. Siquidem qui velociter ingerunt cibum, & semimansium deglutiunt, ventriculo laborem inferũt, & flatus maximos procreant. Deinde animaduertendum est, ne plus cibi ingeratur, quam ferre poterit vẽtriculi & caloris naturalis robur, ideoque se cibo & potu nunquam repleat, quousque extendatur ventriculus, sed curet vt nunquam satur surgat à mensa, ne nimia alimenti mole innatus calor impediatur, & subinde generentur cruditates & flatus. Atqui qualis, quantave mensura ciborũ esse debeat, recte scribit Avicenna his verbis: Ea enim, inquit, erit cibi recta mensura, quæ cum ingesta fuerit, grauitatem non adfert, in ventriculo non natat, nauseam neque ructus commouet, torporem non inducit, neq; mentis hebetudinem facit.

Ideoque cibi quantitas mediocris, & secundum concoctricis facultatis robur esse debet. Ad hæc ignorandum non est, quod non parum affert affectis corporibus incommodi, & sanitati tuēdæ aduersatur plurimū eduliorū apparatus. Quapropter Galenus recte id improbat lib. 3. de victus ratione in acutis, sic inquiens: Scias quidē multiplices cibos, & præsertim facultate dissimiles magnam progignere in ventriculo confusionem. Quod postmodum confirmans Auicenna: Nil, inquit, deterius est, quàm diuersa nutriētia simul adiungere, & comedendi tempus prorogare. Verum cum hoc frequentissime in lautissimis nobilium & prælatorum mensis euenire soleat, caueat dominatio tua, ne in hoc fortasse aberret à scopo. Præstabit itaque ex multis, quæ apponuntur, eduliis, vnum aut alterum, quę cæteris meliora, sapidioraque fuerint eligere, & ex illis tantum comedere, cæteraque aliis relinquere. Multum quoque refert non ignorare, qui cibi priores, & qui posteriores in ordine apponi debeant deuorandi. Proinde victus ratio ita de-

cernere

cernere videtur, quod liquidi cibi, vt carnium iura, humidi & qui facilè in ventriculo corrumpuntur, vt pisces, fructus, & lacticinia, quique cæteris facilius concoquuntur, vt auicularum, ac iuuenum pullorum carnes, imò & oua recentia ceteros præcedere debent. Contra vero succedere debent ii cibi, qui cum crassioris, tũ durioris sunt substantiæ, vt sunt veruecinæ & vitulinæ carnes, & præsertim si assatæ fuerint. Hi enim cibi vltimi esse debent, qui longiori concoctione egeant. Est etiam dominationi tuæ curandum, ne potus cibi quantitatem superet, vt cibus ventriculo non innatet, quo postea fiat, vt inde vapores caput petant. Siquidem huiusce incommodis cerebrum imbecillum & morbis periculosis obnoxium redditur. Ideoque fugiat dominatio tua compotationes quaslibet, & comessationes, potiusque sibi ipsi viuat, quam aliis. Cœna breuior sit prandio, vt minus caput vaporibus repleatur, & melior in ventriculo fiat ciborum concoctio. Postremo curandum est, vt quotidie saltē semel aluus excrementa excernat: quod si naturæ bene-

ficio consequi non possit, lenienda aluus, vel cum prunis dulcibus siccis in vino albo decoctis, & saccharo aspersis, vel cum vuis passis in principio prandii, vel cœnæ deuoratis ad sex septemve cochleariorũ mensuram. Quod si fortassé nõ contulerit, balanis & suppositoriis vtatur ex melle, aut lardo, aut sapone paratis. Quinetiam si aluus nimia astrictione laborat, clystere citanda erit ex iure carnium, saccharo & parũ salis parato, cuius vsus etsi plerisq; improbetur, est tamen tanta clysteris vtilitas, quantum quispiam fortassis narrare non possit. Sed iam ad corporis exercitationes me confero, quæ cum recte moderateq; suo ipso tempore fiunt, maximum præstant corporibus auxilium, & mirifice sanitatem tuentur. Namque toti corpori robur addunt, & innatũ calorem augent, quo mediante alimẽtum non solum in ventriculo, iecinore, ac venis probe concoquitur, paucis aut nullis relictis excrementis cruditatibusve; sed in vniuersum corpus feliciter fertur ac distribuitur. Quinetiam eiusmodi exercitationibus corporis meatus laxiores fiunt, quo

postea

postea fit, vt si quæ sunt excrementa in venis, partim per sudorem, partim vero per insensibilem vaporē inde excernantur, adeo vt exercitationis cōmoda præposuerit Galen. lib. 1. de sanitate tuenda non solum quibuscunq; medicamentis: sed etiam cuiuis victus regimini atq; rationi. Cæterum animaduertendum est, ne plus, quam prosit dominatio tua exerceatur, siquidem Galeni testimonio, exercitationes, quæ modum nimium excesserint, biliosum animal reddant, febres, phrenesin, erysipelata, cæterosq; calidiores procreant affectus, sanguine inde supercalefacto, & inflamato iecinore. Verum vt nimia corporis exercitatio nocere corporibus solet; ita quidem nec minus nocebit vita deses & otiosa. Nam, vt idem Galenus inquit: otium animal pituitosum reddit, viscerum quorumlibet obstructionem facit, apoplexiam, epilepsiam, & fluxiones concitat. Præterea nec illud ignorandum est, exercitium post cibum maxime valetudini esse obnoxium, Galeni ipsius testimonio, quippe, qui libro de cibis boni & mali succi, ad tuendā

ſanitatem, inquit, ſi corpora moderatè exercentur, mirum in modum prodeſt: At contra quies & otium diuturnum maximo illis eſt nocumento. Neque enim morbo quiſquam corripitur, ſi accurate obſeruarit, ne cruditates colligat, aut poſt cibum vehementer exerceatur. Nam ſicuti bonæ valetudini ante cibum exercitatio maximum adfert commodum: ſic motus qualiſcunque ſumpto cibo noxius admodum eſt. Alimentum enim ex ventre ante coctionem in diuerſas corporis partes diſtribuitur, proptereaque crudi humoris copia per venas aggeritur, quæ multiplices morbos affert. At quales eſſe debeant ſalubris corporis exercitationes docuit idem Galenus 2. & 3. lib. de ſanitate tuenda, his verbis: Qui tuendæ ſanitatis gratia exercentur, exerceri debent quouſque corpus vniuerſum intumeſcat, floridumque appareat, motus prompte & æqualiter edat, ſudoremque cum calido vapore miſtum exudet. Cum aliquid horum fuerit immutatum, ſtatim dimittenda exercitatio eſt. Et hæc proprie mediocris dicitur & ſalubris. Fiant inſuper

exer-

exercitationes corpore cibo non oppleto, & mane potiùs ante prandium, quam veſperi ante cœnam, quamuis id non omnino inhibeamus, ſi fiat alimentis iam probe in ventriculo concoctis. Et quoniã varia ſunt exercitiorum genera: commodius tamen erit leuis deambulatio per loca amœna & viridia, vbi flores odorati, ac verſicolores, & fructus in arboribus ſpectari poſſunt, ad ſudorem vſque, & donec corpus citra laſſitudinem concaleſcat, quam vti alio exercitationum genere: tametſi præ cæteris laudauit Galenus exercitationes illas, quæ in pilæ paruę ludo fieri ſolent, quippe quoniam huiuſmodi pilæ ludus vniuerſas corporis partes exerceat, nempe, nõ ſolum exercentur crura, pedes, brachia, manus, thorax, dorſumq;: ſed etiam oculi, aures, lingua, & mẽs ipſa, quæ in cerebro reſidet. Poſtremo cauendum eſt, ne poſt balneum dominatio tua ſe aliquo pacto exerceat, quandoquidem cum balneum vniuerſum non obſcurè excalefaciat corpus, & per ſudores euacuet, operæ precium facere non eſt, ne iterum calefiat, & pariter vacuętur. His

accedit somnus & vigilia, quæ res nisi ordine & ratione regantur, non solum iam genitos affectus augent, sed nouos etiam excitant. Est itaq; somnus omnibus necessarius, & vniuersi corporis sensus à suis quiescunt laboribus, ac etiam vt alimentum non modo concoquatur in stomacho & iecinore; sed in vniuersum in omnibus corporis partibus, quinetiam vt restaurētur ipsius cum omnes facultates, tum functiones, atque corpus ipsum, diurnis laboribus afflictum, simul in se totum refocillētur, repareturque. Somnus itaq;, qui sanitati magis videtur idoneus, est nocturnus, cuius initium esse debet elapsis duabus aut tribus horis à cœna, cum iam præsumptus cibus in ventriculi fundo resederit. Nā cum natura ipsa longo indigeat somno & quiete, id quidem longe melius nocte, quam die præstari potest. Addo etiam quod in tales spiritus magis contrahuntur ad centrum nocturno, quam diurno tempore. Debet itaque dominatio tua itura dormitum quiescere primum super dextro latere, siquidem cum in tali decubitu iecur sub ventriculo quie-

quiescat, nō solum illum non grauat, nec aliquem infert laborem: sed ipsum calefacit, perinde vt ignis lebetem, qui illi admovetur. Peracto vero primo somno quiescendum deinde fuerit super sinistro latere, vt cibus rectius ad ventriculi fundum descendat, ibique inhærentis iecinoris calore facilius cōcoquatur. Præterea prorsus cauendus est decubitus super dorso, quod præter id, quod non parū renes afficiat, cerebrum etiam & neruos lædit. At decubitus super ventre conuenit tantum, cum ægrè cibus in ventriculo conficitur. Etenim non parum concoctionem adiuuat. Ad hæc longiore tempore dormiendum non est, quam horis septem aut octo, nisi fortasse longæ præcesserint vigiliæ, quę melancholicos affectus plurimum sequuntur. Ideoque si fortasse eueniret, vt dominatio tua somno destitueretur, vtatur balneis aquæ dulcis tepidis, non calidis, hora vna atque altera ante cœnam. A cœna vero cum se dormitum conferre statuerit, lauet cū brachia à cubito ad manus; tum crura à genu ad pedes tepente aqua, in qua decocta sint

medicamenta,quæ rectè somnum conciliare possunt, nempe:

Chamæmel.
Anethum,
Nymphea,
Flor.violar.
lactucæ,
Fol.salicis & papaueris capitula.

Nam melancholicis nihil deterius accidere potest,quam vigiliæ. Præter id cauēdum est,ne statim à cœna dominatio tua se cubitum conferat,quod id caput vaporibus repleat, & oculis maxime noceat. Fugiendus etiam est somnus meridianus post cibum, quoniam concoctionem cibi impedit in ventriculo & in iecinore, intellectum hebetat, pigritiam quandam toti corpori inducit, quinetiam nocturnum impedit somnū, lienem auget, neruos debilitat, & memoriam corrumpit. Reliquum est, vt corrigantur etiam animi accidentia, à quibus plerumq; solent oriri melancholici affectus. Sunt animi affectus præcipui,ira,mœstitia,timor, qui maxime in hoc morbo sunt euitandi. Siquidem ira bilem plurimum mouet & acuit,

cult, eamque in diuersas corporis partes penetrare facit, id quod non parum sanguinem ipsum, & vitales accendit spiritus. Mœstitia vero vniuersum infrigidat corpus, calorem innatum extinguit, appetitum destruit, cōcoctionem impedit, intellectum peruertit, & corpus exiccat. Timor autem dissoluit spiritus, cor inficit, & animū attenuat. Quamobrem hæc omnia prorsus vitanda sunt, & pro virili fugienda. Vita autem instituenda est hilaris, læta, ac tranquilla, &, vt Celsus inquit, quærenda est delectatio ex musicis cantilenis, iocis & fabellis. Hæc itaque sunt reuerende Domine, quæ ad victus regimen spectant. Ea si recte Dominatio tua seruabit, nihil mihi verendum est, quin plurimum procfiiant, cum omnium tam antiquorū, quàm recentium autorum testimonio, nihil sit quod magis conferat ad huiusmodi affectionis curationem, quàm recta & competens victus ratio, & præsertim vbi morbus nō fuerit diuturnus, pluribusq; annis inueteratus. Siquidem fatetur Galen. lib. 3. de locis affec. se quamplurimos curasse melancholicos tantum

balneis & victus ipsius regimine. At cum impossibile sit studiosos viros, & qui curis negotiisve sunt addicti, tam exacto vitæ regimine vti, quo minus cruditas, aut vitiosus succus aliquis in eius corpore generetur, ideoque operæ precium est, medicamentis etiam dominationi tuæ succurrere, secũdum Galeni institutum, qui libro de succorum bonitate & vitio, quo pacto tales præseruari debeant, nos docet his verbis: Ego qui exercitatione vti ante cibum possunt, iis exquisita prorsus vitæ ratio ne fuerit quidem necessaria, aliis vero, qui ob negotiorum molem hoc facere prohibentur, non solum diligentiore victu: verum etiam medicamentis salubribus opus fuerit. Plurimi quoque eo statu degunt mortales, vti his neque ante cibum recte exercere se liceat, neque opportune satis cibum capere, neque probe alimoniam cõficere, hosce intactos morbis perdurare diutius impossibile fuerit, nisi subducta sibi aluo cõsulant per interualla, interdũ purgatione etiam validiore, ac tempestiua sanguinis missione, salubribus adhæc medicamentis opportuno tẽpore

pore epotis. Hæc ille. Quibus palam est nō solum dominationi tuæ opus esse diligentiore victu: sed etiam medicamentis: quod si ipsa negligeret, verendum sane esset, ne sæuiora & periculosiora acciderent symptomata. Quamobrem suadeo illi, vt omnino mense Martio se ad purgationem præparet, ne in ipso veris medio aliquid noui emergat. Nam tametsi ver ex se ipso nullos soleat procreare morbos, excitat tamen illos in corporibus immūdis, & repletis malis humoribus. Ideoq; dicebat Galenum cum 3 Aphorism. tum 1 de temperament. Veris eam esse naturā, vt si aliquod corpus sanum excipiat, quod & illud saluberrimum seruet, & nihil à natura propria remouet: verum vbi plena corpora inuaserit, quam plura in his excitare morborum genera. Poterit itaq; dominatio tua, cum fuerit domi suæ, statim se purgare. Quod cum facere statuerit, sumat inprimis hanc leuem purgationem mane horis quinque an te cibum:

℞ Decocti florum & fruct. cordial. quantum s.
add. Fol. senæ ℥ vi.

Mannæ el.℥ ij.
Misc.f.potus.

&quiescat domi.Si vero manna non esset ad manus,sumatur loco eius el.lenitiui ℥j. & dissoluatur cum eodem decocto. Die sequenti secet venam communem brachii dextri, quam chirurgi medianã vocant,& extrahantur sanguinis vnciæ medicinales sex, hora vna ante cibum, & ea die domi quiescat. His expeditis sumat duinq; diebus continuis, quotidie vnum ex infrascriptis syrupis tepidũ, mane horis quatuor ante prandium,&si lubet dormiat post vnam aut alteram horam:

℞ Melissophyll.
borragin.
bugloss.
betonic.
pulegii,
aspleni,
adianth.
Fl.lupuli.
Stœchad.
Cichor.an.m.j.
Rad.fenicul.
borrag.

bugloss.

buglosſ.
aſparag.
glycyrrhiz.
cichorii an. ℥ ß.
Sem. aniſi,
Fenicul.
Coriandri præp. an. ʒ vj.
Cinnam. el. ʒ v.
Ferueant omnia l.a. in ſ.q. aquæ ad tertias, & deinde
℞ huius decocti ℥ iij. ß.
Mellis roſac. colat.
Syr. de fumaria,
de betonic. an. ℥ ß.
Miſc. & f. ſyrupus, clarificetur pro quinq; vicibus. Ebibitis his quinq; ſyrupis ſumat mane ſequenti infraſcriptam purgationem repidam in aurora, vno tantum hauſtu, & deinde ieiunet horis quinque & ea die domi ſe contineat:
℞ Adianth.
Aſpleni,
Fl. cordial,
Stœchad. a. ℥ 1. ß.
Cortic, myrobal. chebul.
Indorum a. ʒ II.

Rad. Ellebori nigri ℈ ij.
Thymi,
Epithymi an. ʒ j.
Fol. ſenæ el. ʒ v.
Cinnam. ℈ iiij.
Sem. fenicul.
aniſi.
coriand. præp. a. ℈ iiij.

Ferueant hæc omnia ſ. a. in aq. betonicæ q. ſ. quouſque quinta pars euaneſcat, & deinde macerentur horis duodecim in calido loco vaſe concluſo, & ſubinde colentur, deinde:

℞ Huius decocti ℥ iij. ß.
Rhabarb. el. ℈ v.
Spicæ Indicæ gr. v.

Macerentur ſimul omnia horis duodecim continuis, & deinde colentur, & diſſoluantur in hoc diluto:

Confect. hamech. ʒ ij. ß.
Diacatholic.
lenitiu. a. ʒ iij.

F. hauſtus ſumendus, vt ſupra dictum eſt. Quoniam autem factis purgationibus roboranda ſunt membra affecta, cuiuſmodi ſunt cor, caput & ventriculus, ſumat die ſequenti

ſequenti à purgatione hunc infraſcriptũ bolum horis tribus ante cibum:

℞ Sacchar.roſac. ℥ iij.
Antidot.Mithridat.ʒ ß.
Pul.lætific.Almanſor.℈ j.
Miſc.f.bolus cum ſaccharo.

Deinde ſumat per integram ſeptimanam morſellum vnũ pro vice infra ſcriptæ cõfectionis bis in die, mane videlicet & veſperi horis duabus ante cibum:

℞ Syr.lætificant.Almanſor.
diamuſc.dulc.
Aromatic.roſac.a.℥j.
cinnamom.el.ʒ ß.
piſtacior.mundat.℥ß.

Sacch. diſſoluatur in aq. cinnamom. ſi fuerit ad manus, ſin minus in aq. roſar. q. ſ. f. confectio in morſellis, & ponderet quilibet ʒ ij.ß.Et quoniam vſus huius cõfectionis caput,cor & ventriculum haud parum roborare poteſt, poterit dominatio tua ea vti ſi placebit etiam longiori tempore,& quandocunque libuerit.Cæterum ad melancholicas cogitationes, quibus ſe plurimum vexari dominatio tua dixit, etſi hæc omnia prædicta pluri-

mum conferant: valet tamen peculiariter infrascriptus puluis, siquidem cor maxime lætificat, & cerebrum ac intellectum clarificat, si sumatur semel aut bis in septimana, ex aqua melissophylli, borag. buglosſ. simul mixtis ad quãtitatem ʒß. pro vice, quacunq; hora opus fuerit. Ita autem paretur puluis:

℞ Sem. citri ℥ß.
Fl. borrag.
buglosſ.
melisſ. a. ʒ j.
Syr. lætificant. Almansor.
Diamusc. dulc. a. ℈ ij ß.
Zedoar.
Doronic.
Rad. tormentill.
Corallor. rubror.
Margarit.
Rosar. rubrar.
Fragment. omnium preciof. a. ʒ ß.
Croci ℈ ij.
Terræ lemniæ el.
Cornu cerui vsti,
Osſ. de corde cerui a. ℈ j.
Santal. flauor,

albor.

albor,a. ℈ ß.

Fol.auri puri numero x.

Misc,omnia simul & f. puluis.

Confert etiã aliquando mandere aliquot cubebas saccharo confectas. Nam mirum in modum vertiginosis conferunt. Atqui non solum roborantur mẽbra, de quibus dictum est, cum iis antidotis, quæ sumuntur intra corpus; sed etiam cum localibus exterius adhibitis. Ideoque sequenti die à purgatione poterit dominatio tua inungere ventriculum tribus diebus continuis cum infrascripto vnguento mane horis quatuor ante cibum, antequam surgat è lecto, & deinde calidum linteolum superponere:

℞ Vnguenti stomachal. ʒ vj.

Ol. de absinth.

Mastic. a. ʒ ij.

Syr. aromatic. rosat. ʒ ij.

Misc. f. vnguentum.

Ad maiorem vero corroborationem poterit ferre super ventriculo continuo infrascriptum sacculum:

℞ Mastich. ℥ j. ß.

Syr. aromatic. rosac. ʒ v.

Absinth.sicci,
Menthæ,
Rosar.rub.a.℥ ß.
Fol.myrthi rec.ʒ iij.
Calam.aromatic.
Garyophyll.a.ʒ ij.ß.
Spicæ celticæ veræ,
Nucis conditæ a.ʒ ij.
Ligni aloës ʒ j.ß.
Macis ʒ ß.
Conterantur crassiuscule, quæ sunt cōterēda, & suantur in sindone rubra, & f. sacculus in forma triangulari figuræ. Si mœstitia ex melancholia quandoque tuam dominationē invaderet, tolletur si sumpserit puluerem præscriptum, & deinde cordi applicauerit haud sacculum:
℞ Spec.cordial.temperat. ℥ ß.
Santal.albor.
flavor.
Lig.aloës an.ʒ j.
Flor.borragin.
bugloss.
rosar. rubear.
Sem.acetos.
ocymi an.ʒ j.

Ossis

Ossis de corde cerui ℥ ß.
Conterantur crassiuscule, & suantur in sindone rubra, & fiat sacculus gestandus super sinistra mamilla. Præterea cõsilium meum est, vt dominatio tua iterum in autumno, videlicet, mense Septembri, se purget eodem modo, & iisdem medicamentis superius descriptis; sed tunc non opus erit venæ sectione. Nam, vt superius ex Galeno diximus, non solum oportet eos, qui negotiis & studiis detenti corpus, ieiune exercere nequeunt, vti aliquando validioribus purgationibus; sed etiam mitioribus per interualla, quocunque anni tempore sit opus. Quo fit vt nõ modo bis in anno dominatio tua purgare se diligenter debet: sed etiam infra tempus, tunc cum senserit multiplicari cruditates, & aliquod emergere symptoma, siquidem in tali casu poterit vti hisce pillulis, quæ sine illa purgabunt molestia, sumendo eas mane in lecto, hora vna ante auroram, & ieiunet post horis quinq;:

℞ Pillul. alephanginar,
mastichin.
aggregatiu. an. ℈ I.

Diagryd.gr.j.

Cum aqua abſinthii f.pillulæ numero vij. & inaurētur,ſumantur omnes cum melle roſaceo.Si vero pillulas ſumere nequiret, ſumat earum loco hoc electuarium horis quinq; ante cibum:

℞ El.eleſcoph.ʒ v.

Inuoluatur ſaccharo, & deauretur. Eſt enim boni ſaporis,Si ventriculi dolor quãdoq; affligeret,fiat hoc fomentum,quod:

℞ Flor.chamomill,
Melilot.
Anethi,
Roſar,
Abſinthii,
Calamenti,
Maioran.
Rutæ,
Menthæ an.m.j.
Sem.aniſ.
fenicul.
carui an.℥ j.
Calam.odorat.
Caryophyll.an.℥ ß.
Baccar.lauri ʒ iij.
Nucis conditæ ʒ ij.

Fer-

Ferueant simul in aqua ad tertiæ partis consumpt. & deinde in decocto feruente infundatur spongia noua tantæ magnitudinis, vt totum possit contingere ventriculum, & cum in se receperit decoctum, exprimatur fortiter, inter duos orbiculos ligneos, & ita calens, quantum fieri possit, ventriculo superponatur, posito superius linteolo duplicato calido, vt spongiæ calorem conseruet. Et cum incœperit refrigescere, statim superponatur alia spongia similiter infusa, amota priore, & ita fiat quousque dolor remittat, tunc tollantur spongiæ, & earum loco applicetur linteolum duplicatum igne calefactum, & exiccetur locus, deinde inungatur oleo infrà scripto:

℞ Ol. Mastich.
de absinthio,
de ruta an. ℥ ß.

Misc. & contegatur ventriculus linteolo calido. Cõferet etiã maxime his dolorib. tollendis aqua vitę subscripta, quam bene erit vt dominatio tua semp habeat domi:

℞ Aq. vitæ ex optimo vino conf. potentis & elec. ℔ iij. ß.

Syr. aromatic. rosac. ℥j.
Sem. anis.
fenicul.
carui an. ℥ ß.
Caryophyllor.
Nucis conditæ,
Cinnamom. el. a. ʒ iij. ß.
Cardamom. maior. ʒ ii.
Lig. aloës,
Piper. nigr.
Zinziberis,
Galang. an. ʒ i.

Terantur omnia in puluerem & ponantur, cum aqua vitæ præscripta in vas vitreum, & claudatur orificium cum cera, ne quid inde expirare possit, & dimittantur ita omnia macerari decẽ diebus cõtinuis, deinde leuiter extrahatur aqua vitæ pulueribus in fundo residentibus, quousque exierit clara, misceatur cum ℥ viii. iulepi rosac. clari, & in vase vitreo alio adeo conquatiatur, vt iulapium cum aqua omnino misceatur. Deinde claudat orificium vasis cum cera, & permittatur quiescere septem diebus, & separetur deinde ab ea, quæ in fundo remanserit iulapii residentia,

ſidentia, & aſſeruetur in vaſe vitreo mundo bene clauſo, de qua vbi dolor ventriculi acceſſerit, bibat dominatio tua cochlearia quatuor, vel quinq;, & ilico percipiet auxilium. Hæc itaq; ſunt, quæ pro valetudine recuperãda dominationis tuæ mihi nunc ex tempore fere ſe obtulerunt diſcutienda. Quæ ſi profuerint, vt ſpero, agat Deo optimo maximo gratias, qui ſolus omnes ſanat languores, cui ſemper laus, honor, & gloria. Amen.

PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, ARCHIDVCIS AVSTRIÆ FERDINANDI MEDICVS, &c.

CONSILIVM XXII.

In arthitride, pro quodam nobili viro.

VNIVERSA corporis temperatura, eſt temperato calidior & ſiccior. Nã habitus corporis extenuatus eſt, ac macilentus, atque ideo ſiccus. Calorem vero declarat floridus cutis color. Cum autem habitus & temperatura, ſequantur membrorum principum cõſtitutionem,

ac præſertim epatis & cordis, hæc calidiora & ſicciora eſſe rationi eſt conſentaneum. Ventriculum vero frigidiorem eſſe minime dubitamus, non tantum communi ratione eorum, qui nimio epatis calore præditi ſunt, & abdomen habent gracile, à quo ceu puluinari ventriculus fouetur, quo extenuato, & omento etiam ſua pinguedine deſtituto ventriculum frigidiorem fieri neceſſe eſt, atque ideo etiam cõcoctionem admodum imbecillam eſſe. Sed ex intemperanti etiam victus ratione, ventriculus talis reddi ſolet, ſiue quod frigidioribus cibis vſus ſit, ſive quod nimia copia, aut cibi, aut potus, eius obrutus ac pene ſuffocatus ſit calor. De capite idem ſtatuendum putamus, cerebrum ſcilicet eſſe iuſto humidius & frigidius. Cum enim copioſam gignat deſtillationem, quæ tam frequenter ad omnes fere corporis particulas defluit, non alia ratione gigni poterit, niſi ex frigidiore & humidiore cerebro, à quo & ab aliis mẽbris multa proficiſcuntur excrementa, & ex propria etiam tẽperatura in ipſo aceruantur, quæ poſtea aut ſuo pondere, aut

à fa-

à facultate eius excretrice in internas partes decumbunt. Illud vero fieri etiam necessarium est, vt ossium articuli à natiuitate sint imbecilles, eaque imbecillitas à frigidiore intemperie oriatur, addita etiã laxitate quadam. Nam facile excrementa recipiunt. Fere enim fieri solet, vt validiores partes in imbecilles se exonerent, suaque in illas trudant excrementa. Sed cum ex arthriticis parentibus genitus sit, nec sine articulorum imbecillitate arthritis fieri possit, atque hæc ex parentibus in prolem deriuetur, certum est, nobilissimum hunc virum articulorum imbecillitate laborare. Ætas est florens, annum iam agit trigesimum, quod ad præsagium pronunciandum nos plurimum iuuabit. Cum eius institutum, mores & consuetudo mihi nota non sint, de illis statuere nihil possum, quare ad alterum caput accedendum.

Status præter naturam.

VIR nobilissimus assidue articulorum doloribus infestatur, quæ affectio continui est solutio & à præsente humore vincula & musculorum extremas partes oc-

cupante fere fieri solet. Hic vero humor cum excrementicius sit, aut in articulis generetur, aut aliunde transmittatur, ego partim in illis creari, partim ac plurimum ab aliis partibus demandari puto. Certum est igitur arthritin esse in genere fluxionum. In fluxione autem quatuor potissimum considerantur: Terminus à quo, terminus ad quem fit fluxio, viæ per quas humor transit, & humor ipse fluens. Caput esse fontem earum fluxionũ, quæ ad articulos decumbunt, certissimis rationibus à medicis est constitutum. Extrema autẽ ad quæ desinit fluxio esse articulos ipse sensus declarat. Viæ sunt partes sub cute, & inter musculos à capite ad articulos pertinentes. Materia tenuis est humor, legitimũ cerebri excrementum, quale in hyeme refrigerato cerebro effluere solet ex naribus, nec nisi tenuis esset, per tam angustos & lõgos meatus penetrare non posset. Hic vero humor cum iam in articulis diutius hæsit, fit crassior, vt aliquando etiam in tophos conuertatur, idque aut loci frigore, aut calore natiuo tenuiores partes dissoluente, aut medica-

dica-

dicamentis acrioribus importune adhibitis, & nimium exiccantibus. Hic vero humor, etsi in cerebro generetur, aliunde tamen etiam originem sumit. Cum enim ventriculus sit frigidior, & perpetuo fere laboret cruditate, magnam vaporum copiam inde in cerebrum ferri necesse est, quæ postea in humorem loci frigiditate concrescunt. Cum etiam epar sit calidum plurimas ad caput exhalationes mittit, vt ingens in cerebro excrementorum prouentus inde exoriatur, qui postea destillationum proxima est causa.

Scopi ad curationem pertinentes.

MATERIA omnis excrementicia ex toto corpore exturbanda est, quæ est in capite, ventriculo & intestinis. Caput & ventriculus calefacientibus siccandus & roborandus: Epar refrigerandum & temperandũ ne nimiũ ferueat. Articuli calefaciendi, siccandi, constringendi, roborandi, viæ quoque per quas humor fluit constipandæ & roborandæ.

Præsagium.

CVM aliquot à scopis iam dictis minimè præstari possint, cum natiui sint ad-

fectus,& ab ipsa natura ingeniti, vt penitus tollantur, vix fieri potest. Cum tamen præcipuus curationis scopus sit sobrietas, & recta & parca viuendi ratio, rarissimum est exemplum, vt quis hydropota sit arthriticus. Cum vero Hippocrates scribat eunuchum podagricum fieri non posse. Nobilissimus autem vir vxorem habeat, eamq; adolescentulam, quam grauis aduersaria sit Venus patet, & dici solet: Naturam expellas furca, tamen vsque redibit. Et cum hæc deprauata natura tot habet fomenta, difficilis quidem erit curatio; sed cum Horatius dicat, Est aliquid prodire tenus, si non datur vltra: non est deponendus animus, quin aliquid præstari possit. Leniri potest morbus, si assiduus, interpolatio fieri potest; si vehemẽs dolor mitior reddi potest; interualla paroxysmorum longiora, vita tolerabilior, quam antea, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. Si quis etiã de temperãtia mihi vadimonium præstaret, auderem integram valetudinem polliceri, nẽpe Hippocratis & Galeni præcepta, & naturam rei secutus. Cum enim arthritidis dolor infestare non possit, nisi ad ar-

ticulo-

ticulorum imbecillitatem, humoris fluor accedat, alioquin podagrici perpetuo laborarent, cum articulorum imbecillitas ſemper illos comitetur. Tantum autem laborant, cum defluxus ad articulos decumbit; certum eſt, ſi quis ea vtatur temperantia, vt nullus in corpore illius humor redundet, nullam vnquam fieri fluxionem, atq; adeo ne paroxyſmum quidem. Quare in laborandis poteſtate eſt, vt ſit perpetuo ſanus. Et profecto ſatius eſt remedium, quam morbi moleſtiam ferre. Vna iuuentus omnem nobis ſpem adimere videtur. Nam ſi hoc fit in viridi, quid fiet in arido? ſed prudentia nobis maiora pollicetur. Et ſi noſtra præcepta diligenter fuerint obſeruata, nobiliſſimũ virum ſe nobis fuiſſe obſequentem minime pœnitebit.

Remedia.

INPRIMIS ab omnibus excrementis vniuerſum corpus expurgandum, ſed ab agitatoriis medicamentis cauendum eſſe, ventriculi imbecillitas docet. Quare ante hyemem conſulo, vt ter aut quater ſumat clementiſſimum ſyrupum de po-

lypodio, ita tamen, vt inter vnum & alterum intercedant tres dies, in quibus vtatur mane tribus cochlearibus, sequentis mixturæ.

♃ Oxymellis simpl.
Mellis rosac.
Syr. de corticibus citri, an. ℥ iiij.

Misc. est syrupus sine aquis, præparans ad euacuationem.

Syrupi de polypodio purgantis descriptio.

♃ Fol. senæ el.
Passular, min. an. ℥ ß.
Capillor. Vener.
Polypodii,
Tartari albi an. ʒ iij.
Aq. fumiterræ,
Cardui benedict.
Bugloss. an. ℥ ij.

Misc. stent per noctē in infusione s. a. mane f. leuis decoctio, & coletur cum expressione.

♃ Dictæ colaturæ ℥. iiij.
Mellis rosac. solut. aut Mannæ el. ℥ ij.
Misc. f. syrupus purgans.

Extra-

Extractum etiam Catholicon Andernaci ſingulare eſt purgatiuum,præmiſſa hac vniuerſali purgatione, per tres dies, ſingulo mane ſumatur in os granum maſtiches electæ,magnitudinis fabæ, & vbi incaluerit,dentibus teratur, & phlegma in os fluens expuatur. Mane ſequenti alia maſtiche adhibeatur. Poſt hanc capitis peculiarem euacuationem, ſi nõ videtur caput probe expurgatum, per duos aut tres dies mane trahatur per nares ſuccus anagallidis,aut cyclaminis,aut aqua mellis,aut liquor ſequens:

℞ Aq.maioranæ ℥ iij.
Ireos pulueriſat.ʒ j.Miſc.

Tum caput lauetur lixiuio dulci incocta ſaluia,betonico, maiorana, meliſſa, roſis rubris foliis ſenæ, origano: inter lauandũ adhibeatur ſequens ſapo bis aut ter.

℞ Saponis venet.℥ iiij.
Agaric.albiſſ.ʒ ij.
Cinnamom.
Garyophyll.
Ireos,an.ʒ ß.
Camphoræ ℈ j.

Miſc.cũ aqua maioranæ aut ſaluiæ f. ſapo.

Bis in anno repetenda est præcedens euacuatio. Masticatorium vero, errhinon & lixiuium cum sapone bis in mense repetatur. Ad roborandum & exiccandum caput, assidue gestanda est manibus pila sequens, naribus admouenda.

℞ Ladani purissimi ℥ j.
storac. calamit. ℥ ß.
santalor. muscatellin.
lig. aloes,
galliæ muscatæ,
garyophil. an. ʒ I.
myrrhæ,
santal. citrin,
thuris an. ʒ I. ß.

Aq. rosac. q. formetur globus, qui gestetur manibus, aut facto foramine collo suspendatur de filo. Thuris etiam grana accensis carbonibus iniiciantur, & fumus naribus attrahatur, idq; sæpe repetendum in mense. In commissura coronali spargatur in nocte puluis sequens ad caput roborandum & siccandum.

℞ Thuris,
Sandaracæ Arab.
Santal. citrin.

Nigell.

Nigell.
Cubebar.
Rad. pæoniæ an. ℥ 1.

Contundantur & f. tenuissimus puluis, vt farina. Vsus vero optimæ theriacæ saluberrimus semel in septimana sumpte. Galenus, Paulus, Aetius testantur vsu cineris ossium, præsertim humanorum combustorum nonnullos arthriticos & epilepticos fuisse curatos. Aceti etiam scillitici vsus maxime commendatur. Quare aliquoties sumatur per mensem vnum cochleare magnum. Quantum vero præstare possit oleum vitrioli recte paratum, si bis in septimana sumantur quatuor guttæ in iusculo aut vino, mane ieiuno ventriculo, est incredibile. Multi fonticulos, commēdant, qui certe plurimos iuuarūt, sed duo multo prestantiora iam proponā, quæ ego in multis expertus sum saluberrima. Prius est pillularum pasta quædam in hunc modum parata.

℞ Myrrhæ,
Aloes epatic.
Lig. aloes,
Cinnam. el.

Mastich.
Rhabarb.el.an.ʒ ij.
Moschi gr.v.

Misc. fingatur cum oxymellite massa, ex qua formetur pillulæ numero xxxvi. Per integrum mensem alternis diebus vnam accipe mane, postea vero singulis septimanis vnam accipe, donec numerus absumatur. Ratio huius remedii vera est, quia cum arthritis sit fluxus ad articulos, ex vsu harum pillularum, fit vt natura assuefiat excrementa non ad articulos, sed ad naturalem excremẽtorum locum demandare, & à consueto reuocare, vt hæc curatio diuersione fiat. Qua ratione etiam diuretica commendari solent, quale est sequens:

℞ Sem.leuistic.
Anisi,
Petroselin.an ℥ ß.
Erithrodani,
Melissæ,
Gentianæ a.ʒ iij.
Saluiæ,
Betonic.a.ʒ ij.

Misc. f. puluis *doris* ʒ j. in iusculo mane.

Alte-

Alterum vero quod proposui medicamentum est puluis saluberrimus, quo curati sunt multi. Sumitur ℥ j. mane in iusculo:

℞ Chamedr.
Chamæpith.
Centaur. maior.
minoris,
Saluiæ,
Betonic.
Gentianæ,
Aristolochiæ rotund. a. ℥ j.
Guaiac. opt. duplum omnium reliquorum pondus.

Misc. f. ex omnibus puluis tenuissimus, sumitur per multos menses in aqua mellis aut sacchari. Hactenus tractata est morbi curatio. Paroxysmi vero & doloris præsentis curatio è nobis minime prætermittẽda est, ne quid à nobis præterea desiderari possit. Cum igitur iam humor fluxit ad articulos, & dolorem excitat, inprimis est illud nobis propositum, vt dolor mitigetur. Nam dolor trahit tãquam cucurbitula & auget morbum. Quare adhibẽtur statim vnguẽtum de succo ebu-

li, aut mica panis in lacte cocta, addito oui vitello, oleo rosato & croco. Aut loco dolenti admoueantur lintea madefacta in aqua vitæ. Aut fiant fomenta cum spongia imbuta decocto semlini, fœnigræci, fl. chamomill. anethi, meliloti, verbasci. Cũ vero dolor cessarit, ac pedes laxo tremore obsessi, admouentur sacculi pleni furfure calefacto cum seminibus siccantibus contusis. Ad roborandos vero pedes & manus ne nouam materiam admittant, vtatur balneo aquæ ferratæ, in qua decoctum sit hypericon, saluia, rosæ, vrtica, guaiacum. Paretur etiam calceus, totum tegens pedem ex arbuta, quæ intus sit illita cerato diacalcitidis more Galeni parato, ac perpetuo gestetur, sæpe illud renouando. Extra paroxysmum cum nullus dolor est, corporis exercitatio saluberrima, vectio, venatio, equitatio, ludus pilæ, ambulatio. Vinum saluiatum roborat & siccat vniuersum corpus, vinum absinthite ventriculum robustissimum reddit. Diæta omnis sit exiccans. In mensa perpetuus sit vsus sequentis pulueris loco salis.

℞ Zin-

℞ Zinziberis albi ℔.ß.
Cinnamom.
Garyophyllor. aut in hyeme.
Piperis a. ℥ I.
Misc. f. puluis.

Si in aceto paratur cochlear huius pulueris fit optimus intinctus embamna. Zinziber conditum, & myrobalani chebuli conditi ad caput & ventriculum roborãdum præstantissimum. Aquæ cinamomi cochlear vnum ieiuno stomacho acceptum vtilissimum. A cibo & potu semper medulla panis, aut diacitonium aut coriandrum sumatur. Diætam præscriberem, ni putarem me operam lusurum. Eius tamen loco addo regulas aliquot salutares, quarum obseruatio hominem potest reddere immortalem. Illud puto significandum, me multa remedia annotasse, quæ omnia sunt efficacissima, idq; ea de causa, vt intelligerentur artem medicam esse remediis copiosam, ac inde spes salutis oriatur. Non tamen omnia simul vsurpanda, sed alternis vtendum, ne natura nimia auxiliorum copia opprimatur & fatigetur.

Regulæ salutares.

1. Mensę ne sint ęquales, sed cœna semper leuior.
2. Inter vnam & alteram mensam nullus cibus aut potus ingeratur.
3. Potus quantitas non superet alimenta sicca.
4. Molles cibi ac liquidi semper durioribus præmittendi.
5. In eadem mensa ciborum varietas vitanda.
6. Cum licet, per pedes semel quotidie corpus exercitio incalescat.
7. Vitandi animi affectus, & curæ prudentiæ freno moderandæ.
8. Somnus octo horas nõ excedat, nec septem sit breuior.
9. Somnus diurnus omnino fugiatur.
10. Si quid nimia mensa est peccatum, sequentis mensæ parsimonia corrigatur.
11. Semel in septimana vna mensa omittatur, cum scilicet natura minus cibo videbitur indigere,
12. Cibus non deglutiatur, quin in ore probe masticetur.

13. Nul-

13. Nullus sumatur cibus, nisi priore concocto, ad quod octo horæ in imbecilli stomacho requiruntur.

14. Ea sit cibi & potus mensura, quam vsus docet commode ac sine labore conficere posse.

15. Motus, cibus, potus, venus, omnia mediocria.

16. Animaduertendum est aërem, cibum, potum, corporis motum, vestes leuiores, aut grauiores, ac reliqua omnia, à quibus scilicet lædatur, aut iuuetur, vt illa fugiat, hæc vero sequatur.

17. Sanitatis studium est non satiari cibis, & impigrum esse ad laborem.

Faxit DEUS optimus maximus, vt hæc præcepta D. V. sint salutaria, à quo solo & corporis & animæ salus expectanda. Anno 1584.

HIERONYMVS DONZELLINVS,
MEDICVS VENETVS, &c.

CONSILIVM XXIII.

In arthridite, pro quodam generoso Domino.

Germanico idiomate scriptũ.

CVM in hoc generoso Domino non modo articuli, partim ab humoribus podagricis, partim etiã dolore admodum debilitati sint; sed cætera quoque membra ita sint affecta, vt de collo ceruice etiam conqueratur, præterea interna viscera, præcipue vero ventriculus, naturalem suum calorem non habeant, & leui errato offendantur, magna esset temeritas, si persuadere generoso Domino auderem, ipsum ex meo consilio perfectam sanitatem esse consecuturum. Nam naturalis calor semel extinctus in partibus reduci nullis rationibus potest, vt humores, qui podagram gignunt, non recipiant: semper etiam in tali constitutione corporis interna viscera, maxime caput, materiam præparabunt aptam fluxionibus. Eruditis autem Medicis omnibus notum est, duas esse arthritidis causas, vnam materiam, alteram debilitatem articulorum, in quibus furit arthritis. Materia etsi potissimum ex cibo potuq; colligitur, vt anseribus, carpionibus, carne suilla, nimio vsu piscium, varietate ferculorum: adiuuat tamen plurimum ataxia, & ordinis in vsu

vſu neglectio, intempeſtiua cœna & ſomnus. Etiam ea quæ materiam commouent & exagitant, vt ira vehemẽtior, dulcia ac fortia vina, motus à cibo validior, maxime venus, quæ externa etiam membra debilitat. Ad eam imbecillitatem, & collectionẽ materiæ ſi accedat frigidus, humidusq; aer, malum augetur, permutatio item aeris admodum calidi in hypocauſtis & frigoris externii, aut è cõtrario, ſi è nimio frigore ſubito nos in calidiſſima conclauia transferimus. Si itidem caput, à quo plerunque in ſubiecta membra humores demittuntur, refrigeretur, aut vaporum copia oneretur, vt fit à crapula. Pedes nimium à tepida loti; ſed ſulphureę thermæ, quæ alumen & ſulphur habent, & calorem natiuum roborant, præmiſſa neceſſaria euacuatione corporis, & obſeruata iuſta victus ratione concedi poſſunt. Equitatio non ſatis commoda podagricis, cum non ſolum pedes in ea grauentur, ſed & materia agitetur. Nihil autem æque nocet, vt vinum & venus. Ex his generoſus Dominus æſtimare poterit, quarum rerum vſu potiſſimum poda-

gram sibi attraxerit, & quomodo vitari possit. Quod si deesse sibi ipse nolit, & obsistere non modo materiæ collectioni, sed eiusdem præcipitationi etiam didicerit, adiici à me poterunt ea, quæ ad partium infirmarum robur multũ profutura esse videbuntur, ne in tã crebros paroxysmos incidat, & valetudo paulatim confirmetur. Ac primum quidem, quoniam fieri non potest, vt in hoc corpore, etiam obseruata exquisita victus ratione, nulla excrementa colligantur, consulo, vt generositas tua singulis annis semel aut bis leni aliquo purgante medicamento se euacuet. Ad præparationem autem materiæ placeret mihi vsus huius syrupi.

℞ Mellis rosac. ℔ ß.
Syr. de succo betonic. ℥ IIII.
Extract. calam. aromatic. ℈ I. Misc.

Mane de hoc sumat cochlearia quatuor. Purgans præscribi posset eiusmodi:

℞ Passular. min. ℥ VI.
Betonic.
Meliss.
Iuæ arthetic.
Scolopendr.

Capill.

Capill. vener. an. m. ß.
Flor. borrag.
Violar. an. p. I.
Galangæ ʒ I.
Cortic. myrobalanor. citrinor. ʒ I. ß.
Rhabarb. el. ℈ IIII.
Agaric. albiss. ℈ II.
Fol. senæ el. ℥ ß.

F. infusio, & decoctio s. a. in s. q. aq. puræ, expressio fiat diligens, & per pannum linteum cola, colaturæ ℞ ℥ IIII.

Syr. rosac. solut. ℥ I.
Mannæ Calabrin. opt. ℥ ß. vel ʒ VI.
Brodii zinziberis parum.
Misc. f. haustus.

Hanc potionem sumat generosiss Dominus, postquam sex vel septem diebus syrupo præcedēte vsus est, vt antea monui, horis quinq; ante prandium, nec redormiat, & eo die aerem vitet, quod sine præsentis Medici consilio tamen non faciat. Idem de vena consulat, an necessaria sit, vel non sit. Nam quia stomachus est adeo debilis, ego tum à vehementer purgantibus, tum à nimia venæ missione, ma-

xime cum & noctu pedes intumescant, abhorreo. Ad alui apertionē & eductionem materiarum peccantium, quin & ad roboranda viscera, generosus Dominus singulis mensibus bis hora ante cœnam vtatur drachma vna harum pillularum.

℞ Aloes optim. ℥ ß.

Imbuatur ter succo endiuiæ vel rosar. & exiccetur, postea iterum & tertio imbuatur, & exiccetur. huic alii add.

Rhabarbar. subtil. triti ʒ i.
Agaric. opt. fideliter trochisc. ℈ iiii.
Mastich.
Myrrhæ ā. ℈ i.

Puluerisentur singula, infundatur aqua cinnamomi, & addatur syr. rosac. solut. parum, f. massa, de qua pro ʒ i. f. pillulæ septem, vel minores. Ab vsu harum pillularum sequenti die aluus sponte bis aut amplius fluet sine offensione. Magnam rationem habeat ventriculi, & mane hoc vnguento inungat.

℞ Menthæ,
Rorismar.
Comar. absinth.
Rosar. rubrar. an. p. i.

Lig

Lig. aloës,
Santal. citrin.
Galangæ,
Garyophyll. an. ʒ i.
Mastich. ℈ iiii.
Ol. amygd. dulc. recentiss. ℔ j.

Vini maluatici, vel Rhenani boni ℔ß. Decoq. in vase duplici ad vini consumptionem, fiat expressio diligens. In hyeme pro ℥ j. istius olei, adde, ol. nucis conditæ ʒ ß. Detur in vino. Hyeme & æstate id faciat, sed imponat linteum triplicatum, aut plures etiam. Ad capitis roborationem hoc electuarium profuerit, si de eo mane magnitudine iuglandis, (paulo parcius æstate) sumpserit.

℞ Conser. rosar. recent. ℥ xviij.
Borrag. ℥ ii.
Carnis Myrobalan. emblic. condit. ℥ i. ß.
Cortic. citri condit. ℥ ß.
Syr. aromatic. rosac. rec. & fideliter dispensat. ʒ iii.
Garyophyll. incis. ʒ ii.

Misc. & cum syr. de betonic. q. s. f. electuarium molle. Detur in pixide incerata.

Hæc sunt remedia, quæ omnia & prouentum materiæ prohibent, & internas partes roborant, quæ fluxionibus causam præbent. Vt vero etiã externis succurratur, & maxime articuli roborẽtur, & materia quæ à doloribus ibi remanet, absumatur, nihil esset convenientius acinis vuarum expressarum, cum haberi possunt, si tepidi vna cum succo nouem aut decẽ diebus debilibus partibus applicentur. Id tempus, quia iam præteriit, sumat generosus Dominus origanum, absinthium, artemisiam, & chamomillam, easq; quatuor herbas in aqua coquat, & infundat calide in vas tectum superne, iniiciantur lapilli igniti, & aspergantur vino bono, & hic fumus excipiatur à pedibus, donec sudent, deinde in sartagine calefiat triticum, & imponantur pedes, vt eos siccet: id sexies fiat, postea plantæ muniãtur pelle leporina, & caligæ ex semper gerantur, vt frigus auertatur. Quod si mane sudor se ostenderit, iuuandus est, non inhibendus. Et quia humores sæpe in totum corpus disperguntur, aliquando ante cœnam (quæ semper parca sit, aliquando & nulla)

totum

totum corpus ex decocto illo quatuor herbarum sudare faciat excepto capite. Hoc tamẽ lauetur ex decocto polytrichi. Etiam extra balneum singulis septimanis bis aut ter ante cœnam solum caput eo lixiuio abluat, & tum aerem prorsus vitet. Quam sint hæc futura vtilia generoso Domino diuino auxilio paulo post experietur. Vnum coram monebo, cui si obsecutus fuerit generosus Dominus, non dubito, quin magnum præsidium ad sanitatem recuperandam sit habiturus.

IOHAN. CRATO.
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XXIII.

In podagra, pro quodam nobili viro.

PODAGRA neq; hyeme cum humores intus concentrantur, neque in commotionibus peregrinationum rectę curari potest. Ideo nunc pro ista occasione suadere parum possum. Quod ad priora remedia attinet, quæ ad mitigationẽ mali adhibui, primumquidem ad calidorum humorum, qui non modo pituitam ad *Germanico idiomate scriptum.*

articulos deuehũt,sed dolores ipsos concitant,auersionem, hanc potionem præscripsi:

℞ Aq.borragin.℔ I.ß.
Margarit.præparat.ʒ I.
Papauer.alb.ʒ I.ß.

F. emulsio, cui margaritis adiunctus in substantia, add.

Syrupi de papauer.
Violar.an.℥ I. Misc.

Ad maturationem autem, & mitigationem dolorum suasi hoc.

℞ Aq.è florib.verbasc.℔ I.
Myrrhæ ℈ I.
Croci ℈ ß. Misc.

Antea monui de vnguento ad caliditatem renum, & ad humores adustos syrupus de pomis cum sena præscriptus est, qui & aluum lenit, neque vehementer præcipitat humores, qualia in fluxionibus necessario sunt adhibenda. Nam plerumque etiam ad locum affectum demittunt materias, & chronicon malum efficiunt. Quæ vero vehementer purgant, etsi videantur prodesse, maximopere tamen afficiunt corpora, cum humidum radi-

radicale,& calorem naturalem affligant, & mēbra ipſa coctionis valde debilitent, vt paulo poſt non minus excrementorū intus colligatur, quam purgatione ademtum ſit. Quapropter & à medicamentis talibus, & Medicis indoctis cauendum eſt. Quod hæmorrhoides fluūt, magnum in eo ſalutis præſidium collocet, & cum aluus non eſt aperta ad drachmam ſemis aut minus etiam vtatur aloe roſata paulo ante cœnam, ac pedes calidos ſeruet, niſi malit, vt fortius purget. Tumor pedū eſt à calore debilitato, nec hydropis initium à tumore incipit, ſed ab intēperie epatis. Quia autem epar non corruptum eſt, hac quidē in parte nullum eſt conſilium. Pedes muniat pellibus leporum, & plantis pedum artemiſiam ac abſinthium ſupponat. Pręſeruatio podagrę in commoda victus ratione poſita eſt, maxime ne membra affecta refrigeretur, aut nimium incaleſcant, aut humectentur, ſed ſicca ſeruentur. Vitet vina fortia, & quicquid humores cōmouet, vt venus, ira. Aluū ſemper apertam habeat vſu pillularū de aloe. Sudet mane quotidie. Sunt quidē & alia

li, aut mica panis in lacte cocta, addito oui vitello, oleo rosato & croco. Aut loco dolenti admoueantur lintea madefacta in aqua vitæ. Aut fiant fomenta cum spongia imbuta decocto semlini, fœnigræci, fl. chamomill. anethi, meliloti, verbasci. Cũ vero dolor cessarit, ac pedes laxo tremore obsessi, admouentur sacculi pleni furfure calefacto cum seminibus siccantibus contusis. Ad roborandos vero pedes & manus ne nouam materiam admittant, vtatur balneo aquæ ferratæ, in qua decoctum sit hypericon, saluia, rosæ, vrtica, guaiacum. Paretur etiam calceus, totum tegens pedem ex arbuta, quæ intus sit illita cerato diacalcitidis more Galeni parato, ac perpetuo gestetur, sæpe illud renouando. Extra paroxysmum cum nullus dolor est, corporis exercitatio saluberrima, vectio, venatio, equitatio, ludus pilæ, ambulatio. Vinum saluiatum roborat & siccat vniuersum corpus, vinum absinthite ventriculum robustissimum reddit. Diæta omnis sit exiccans. In mensa perpetuus sit vsus sequentis pulueris loco salis.

℞ Zinziberis albi ℔.ß.
Cinnamom.
Garyophyllor. aut in hyeme.
Piperis a. ℥ 1.
Misc. f. puluis.

Si in aceto paratur cochlear huius pulueris fit optimus intinctus embamna. Zinziber conditum, & myrobalani chebuli conditi ad caput & ventriculum roborãdum præstantissimum. Aquæ cinamomi cochlear vnum ieiuno stomacho acceptum vtilissimum. A cibo & potu semper medulla panis, aut diacitonium aut coriandrum sumatur. Diætam præscriberem, ni putarem me operam lusurum. Eius tamen loco addo regulas aliquot salutares, quarum obseruatio hominem potest reddere immortalem. Illud puto significandum, me multa remedia annotasse, quæ omnia sunt efficacissima, idq; ea de causa, vt intelligerentur artem medicam esse remediis copiosam, ac inde spes salutis oriatur. Non tamen omnia simul vsurpanda, sed alternis vtendum, ne natura nimia auxiliorum copia opprimatur & fatigetur.

Regulæ salutares.

1. Mensę ne sint ęquales, sed cœna semper leuior.
2. Inter vnam & alteram mensam nullus cibus aut potus ingeratur.
3. Potus quantitas non superet alimenta sicca.
4. Molles cibi ac liquidi semper durioribus præmittendi.
5. In eadem mensa ciborum varietas vitanda.
6. Cum licet, per pedes semel quotidie corpus exercitio incalescat.
7. Vitandi animi affectus, & curæ prudentiæ freno moderandæ.
8. Somnus octo horas nō excedat, nec septem sit breuior.
9. Somnus diurnus omnino fugiatur.
10. Si quid nimia mensa est peccatum, sequentis mensæ parsimonia corrigatur.
11. Semel in septimana vna mensa omittatur, cum scilicet natura minus cibo videbitur indigere,
12. Cibus non deglutiatur, quin in ore probe masticetur.

13. Nul-

13. Nullus ſumatur cibus, niſi priore concocto, ad quod octo horæ in imbecilli ſtomacho requiruntur.

14. Ea ſit cibi & potus menſura, quam vſus docet commode ac ſine labore conficere poſſe.

15. Motus, cibus, potus, venus, omnia mediocria.

16. Animaduertendum eſt aërem, cibum, potum, corporis motum, veſtes leuiores, aut grauiores, ac reliqua omnia, à quibus ſcilicet lædatur, aut iuuetur, vt illa fugiat, hæc vero ſequatur.

17. Sanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem.

Faxit DEVS optimus maximus, vt hæc præcepta D. V. ſint ſalutaria, à quo ſolo & corporis & animæ ſalus expectanda. Anno 1584.

HIERONYMVS DONZELLINVS,
MEDICVS VENETVS, &c.

CONSILIVM XXIII.

In arthridite, pro quodam generoſo Domino.

Germanico idiomate scriptũ.

CVM in hoc generoso Domino non modo articuli, partim ab humoribus podagricis, partim etiã dolore admodum debilitati sint; sed cætera quoque membra ita sint affecta, vt de collo ceruice etiam conqueratur, præterea interna viscera, præcipue vero ventriculus, naturalem suum calorem non habeant, & leui errato offendantur, magna esset temeritas, si persuadere generoso Domino auderem, ipsum ex meo consilio perfectam sanitatem esse consecuturum. Nam naturalis calor semel extinctus in partibus reduci nullis rationibus potest, vt humores, qui podagram gignunt, non recipiant: semper etiam in tali constitutione corporis interna viscera, maxime caput, materiam præparabunt aptam fluxionibus. Eruditis autem Medicis omnibus notum est, duas esse arthritidis causas, vnam materiam, alteram debilitatem articulorum, in quibus furit arthritis. Materia etsi potissimum ex cibo potuq; colligitur, vt anseribus, carpionibus, carne suilla, nimio vsu piscium, varietate ferculorum: adiuuat tamen plurimum ataxia, & ordinis in

vsu

vſu neglectio, intempeſtiua cœna & ſomnus. Etiam ea quæ materiam commouent & exagitant, vt ira vehemētior, dulcia ac fortia vina, motus à cibo validior, maxime venus, quæ externa etiam membra debilitat. Ad eam imbecillitatem, & collectionē materiæ ſi accedat frigidus, humidusq; aer, malum augetur, permutatio item aeris admodum calidi in hypocauſtis & frigoris externii, aut è cōtrario, ſi è nimio frigore ſubito nos in calidiſſima conclauia transferimus. Si itidem caput, à quo plerunque in ſubiecta membra humores demittuntur, refrigeretur, aut vaporum copia oneretur, vt fit à crapula. Pedes nimium à tepida loti; ſed ſulphureę thermæ, quæ alumen & ſulphur habent, & calorem natiuum roborant, præmiſſa neceſſaria euacuatione corporis, & obſeruata iuſta victus ratione concedi poſſunt. Equitatio non ſatis commoda podagricis, cum non ſolum pedes in ea grauentur, ſed & materia agitetur. Nihil autem æque nocet, vt vinum & venus. Ex his generoſus Dominus æſtimare poterit, quarum rerum vſu potiſſimum poda-

gram ſibi attraxerit, & quomodo vitari poſſit. Quod ſi deeſſe ſibi ipſe nolit, & obſiſtere non modo materiæ collectioni, ſed eiusdem præcipitationi etiam didicerit, adiici à me poterunt ea, quæ ad partium infirmarum robur multũ profutura eſſe videbuntur, ne in tã crebros paroxyſmos incidat, & valetudo paulatim confirmetur. Ac primum quidem, quoniam fieri non poteſt, vt in hoc corpore, etiam obſeruata exquiſita victus ratione, nulla excrementa colligantur, conſulo, vt generoſitas tua ſingulis annis ſemel aut bis leni aliquo purgante medicamento ſe euacuet. Ad præparationem autem materiæ placeret mihi vſus huius ſyrupi.

℞ Mellis roſac. ℔ ß.
Syr. de ſucco betonic. ℥ IIII.
Extract. calam. aromatic. ℈ I. Miſc.

Mane de hoc ſumat cochlearia quatuor. Purgans præſcribi poſſet eiuſmodi:

℞ Paſſular. min. ʒ VI.
Betonic.
Meliſſ.
Iuæ arthetic.
Scolopendr.

Capill.

Capill. vener. an. m. ß.
Flor. borrag.
Violar. an. p. i.
Galangæ ℨ i.
Cortic. myrobalanor. citrinor. ℨ i. ß.
Rhabarb. el. ℈ iiii.
Agaric. albiss. ℈ ii.
Fol. senæ el. ℥ ß.

F. infusio, & decoctio s. a. in s. q. aq. puræ, expressio fiat diligens, & per pannum linteum cola, colaturæ ℞ ℥ iiii.
Syr. rosac. solut. ℥ i.
Mannæ Calabrin. opt. ℥ ß. vel ℨ vi.
Brodii zinziberis parum.
Misc. f. haustus.

Hanc potionem sumat generosiss Dominus, postquam sex vel septem diebus syrupo præcedẽte vsus est, vt antea monui, horis quinq; ante prandium, nec redormiat, & eo die aerem vitet, quod sine præsentis Medici consilio tamen non faciat. Idem de vena consulat, an necessaria sit, vel non sit. Nam quia stomachus est adeo debilis, ego tum à vehementer purgantibus, tum à nimia venæ missione, ma-

xime cum & noctu pedes intumescant; abhorreo. Ad alui apertionē & eductionem materiarum peccantium, quin & ad roborandā viscera, generosus Dominus singulis mensibus bis hora ante cœnam vtatur drachma vna harum pillularum.

℞ Aloes optim. ℥ ß.

Imbuatur ter succo endiuiæ vel rosar. & exiccetur, postea iterum & tertio imbuatur, & exiccetur. huic alii add.

Rhabarbar. subtil. triti ʒ I.
Agaric. opt. fideliter trochisc. ℈ IIII.
Mastich.
Myrrhæ ā. ℈ I.

Puluerisentur singula, infundatur aqua cinnamomi, & addatur syr. rosac. solut. parum, f. massa, de qua pro ʒ I. f. pillulæ septem, vel minores. Ab vsu harum pillularum sequenti die aluus sponte bis aut amplius fluet sine offensione. Magnam rationem habeat ventriculi, & mane hoc vnguento inungat.

℞ Menthæ,
Rorismar.
Comar. absinth.
Rosar. rubrar. an. p. I.

Lig.

Lig.aloës,
Santal.citrin.
Galangæ,
Garyophyll. an. ʒ I.
Maſtich. ℈ IIII.
Ol.amygd.dulc.recentiſſ. ℔ j.
Vini maluatici, vel Rhenani boni ℔ ß.
Decoq. in vaſe duplici ad vini conſumptionem, fiat expreſſio diligens. In hyeme pro ℥ j. iſtius olei, adde, ol. nucis conditæ ʒ ß. Detur in vino. Hyeme & æſtate id faciat, ſed imponat linteum triplicatum, aut plures etiam. Ad capitis roborationem hoc electuarium profuerit, ſi de eo mane magnitudine iuglandis, (paulo parcius æſtate) ſumpſerit.

℞ Conſer.roſar.recent. ℥ xviij.
Borrag. ℥ II.
Carnis Myrobalan.emblic.condit. ℥ I. ß.
Cortic.citri condit. ℥ ß.
Syr.aromatic.roſac.rec.& fideliter diſpenſat. ʒ III.
Garyophyll.inciſ. ʒ II.
Miſc. & cum ſyr. de betonic. q. ſ. f. electuarium molle. Detur in pixide incerata.

Hæc ſunt remedia, quæ omnia & prouentum materiæ prohibent, & internas partes roborant, quæ fluxionibus cauſam præbent. Vt vero etiã externis ſuccurratur, & maxime articuli roborẽtur, & materia quæ à doloribus ibi remanet, abſumatur, nihil eſſet conuenientius acinis vuarum expreſſarum, cum haberi poſſunt, ſi tepidi vna cum ſucco nouem aut decẽ diebus debilibus partibus applicentur. Id tempus, quia iam præteriit, ſumat generoſus Dominus origanum, abſinthium, artemiſiam, & chamomillam, eaſq; quatuor herbas in aqua coquat, & infundat calide in vas tectum ſuperne, iniiciantur lapilli igniti, & aſpergantur vino bono, & hic fumus excipiatur à pedibus, donec ſudent, deinde in ſartagine calefiat triticum, & imponantur pedes, vt eos ſiccet: id ſexies fiat, poſtea plantæ muniãtur pelle leporina, & caligæ eæ ſemper gerantur, vt frigus auertatur. Quod ſi mane ſudor ſe oſtenderit, iuuandus eſt, non inhibendus. Et quia humores ſæpe in totum corpus diſperguntur, aliquando ante cœnam (quæ ſemper parca ſit, aliquando & nulla

totum

totum corpus ex decocto illo quatuor herbarum ſudare faciat excepto capite. Hoc tamẽ lauetur ex decocto polytrichi. Etiam extra balneum ſingulis ſeptimanis bis aut ter ante cœnam ſolum caput eo lixiuio abluat, & tum aerem prorſus vitet. Quam ſint hæc futura vtilia generoſo Domino diuino auxilio paulo poſt experietur. Vnum coram monebo, cui ſi obſecutus fuerit generoſus Dominus, non dubito, quin magnum præſidium ad ſanitatem recuperandam ſit habiturus.

IOHAN. CRATO.

A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XXIII.

In podagra, pro quodam nobili viro.

PODAGRA neq; hyeme cum humores intus concentrantur, neque in commotionibus peregrinationum rectę curari poteſt. Ideo nunc pro iſta occaſione ſuadere parum poſſum. Quod ad priora remedia attinet, quæ ad mitigationẽ mali adhibui, primumquidem ad calidorum humorum, qui non modo pituitam ad

Germanico idiomate ſcriptum.

articulos deuehũt,sed dolores ipsos concitant,auersionem, hanc potionem præscripsi:

℞ Aq.borragin.℔ 1.ß.
Margarit.præparat.ʒ 1.
Papauer.alb.ʒ 1.ß.

F. emulsio, cui margaritis adiunctus in substantia, add.

Syrupi de papauer.
Violar.an.℥ 1. Misc.

Ad maturationem autem, & mitigationem dolorum suasi hoc.

℞ Aq.è florib.verbasc.℔ 1.
Myrrhæ ℈ 1.
Croci ℈ ß. Misc.

Antea monui de vnguento ad caliditatem renum, & ad humores adustos syrupus de pomis cum sena præscriptus est, qui & aluum lenit, neque vehementer præcipitat humores, qualia in fluxionibus necessario sunt adhibenda. Nam plerumque etiam ad locum affectum demittunt materias, & chronicon malum efficiunt. Quæ vero vehementer purgant, etsi videantur prodesse, maximopere tamen afficiunt corpora, cum humidum radi-

radicale,& calorem naturalem affligant, & mēbra ipſa coctionis valde debilitent, vt paulo poſt non minus excrementorū intus colligatur, quam purgatione ademtum ſit. Quapropter & à medicamentis talibus, & Medicis indoctis cauendum eſt. Quod hæmorrhoides fluūt, magnum in eo ſalutis præſidium collocet, & cum aluus non eſt aperta ad drachmam ſemis aut minus etiam vtatur aloe roſata paulo ante cœnam, ac pedes calidos ſeruet, niſi malit, vt fortius purget. Tumor pedū eſt à calore debilitato, nec hydropis initium à tumore incipit, ſed ab intēperie epatis. Quia autem epar non corruptum eſt, hac quidē in parte nullum eſt conſilium. Pedes muniat pellibus leporum, & plantis pedum artemiſiam ac abſinthium ſupponat. Prȩſeruatio podagrȩ in commoda victus ratione poſita eſt, maxime ne membra affecta refrigeretur, aut nimium incaleſcant, aut humectentur, ſed ſicca ſeruentur. Vitet vina fortia, & quicquid humores cōmouet, vt venus, ira. Aluū ſemper apertam habeat vſu pillularū de aloe. Sudet mane quotidie. Sunt quidē & alia

remedia quæ præseruationi seruiunt, sed in itinere vsurpari non possunt. Interea contentus sit nobilissimus Dominus extracto è iuniperis, & id singulis diebus assumat.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XXV.

In eodem affectu, pro eodem.

Germanico idiomate scriptum.

SI obtemperaret æger cōsilio meo præscripto, non indigeret aliis remediis. Nam quod integre se sperat posse conualescere, id neq; debeo, neq; possum polliceri. Quia autem certum est thermas, præsertim quæ cupream minerã habent, quales sunt Lambcenses, calorem innatum & articulos roborare, suaderem vt hac temporis occasione vteretur, præmissa prius tali corporis euacuatione.

℞ Terebinthin. si haberi potest Cypriæ ℥ ß.

Coq. in aqua maluę, donec albescat. Huic adde:

Rhabarb. puluerisat. ʒ iii.

pul.

pul. iuæ artheticæ,
succin. alb. an. ʒ I.
succi liquirit. ℈ I.

Misc. & inuoluantur puluere cinnamomi & f. pillulæ mediocres. De his pillulis vtatur aliquot diebus ad quindecim duabus horis ante prandium, & si vehementius aluum mouerent, quiesceret aliquot diebus. Post sumptas pillulas bibat serum caprinum, in quo decocta sit betonica, addito cochleari sacchari rosati. Quod autem à me postulantur remedia profectioni accomodata, cum ignorem quo iturus sit, & quam longa ea via sit, nihil possum præscribere, cum Galenus dicat: Qui rectam victus rationem tenere nequeunt, iis optimam medicinam præscribere superuacaneum est. Quæ potest autem ratio, viuendi commoda in itineribus obseruari? Propterea duo tantum præscribam, obseruata tamen diæta. Primum si hæmorrhoides non fluent, tribus pillulis vtatur ante cœnam, & statim quadrante horæ post cœnet, nec diutius differat cœnam, quam velim esse parcam.

℞ Aloës rosatæ ℈ I.

reformentur pillulæ numero III.
Deinde vt singulis diebus mane hoc electuario vtatur quantitate iuglandis.

℞ Conser. rosar. recentiss. & Damasc. ℔ I.
Carnis myrabolan. emblic. condit. ℥ III.
Ambræ el. & grys. ʒß.
Garyophyll. incis. ʒ VI.

Misc. cum iulepo rosar. & syrupo de corticibus citri, & f. electuarium. Quod si hoc electuario cum conueniente diæta quotidie vsus fuerit, animaduertit hoc sibi profuturum, vt diuinæ clementiæ satis gratus esse non possit.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XXVI.

In affectionibus & doloribus articulorum, ac humoribus in articulos defluentibus.

HOc malum in tanta viuendi licentia, non modo frequens fit, sed ita affligit & debilitat, vt plane vti membris non possint. Est autem cōmunis opinio, morbum

bum hunc curabilem non esse, quam falsam esse multorum temperanter viuentium exempla docent; quin & ratio id euidenter probat. Quia enim curatio morbi ablatio est causæ facientis morbum: duæ autem causæ sunt morbum gignentes, humores vel à capite, vel toto decumbentes, & debilitas pedum vel articulorum, quę duo impossibile non est tollere: sequitur quibus in corporibus naturalis calor, qui humores absumit, non prorsus est prostratus, neque membra & articuli extreme debilitati sunt, in iis podagram posse curationem admittere. Quod vero restituuntur pauci, intemperantia facit primum, deinde humorum varietas. Pręterea quod id, quod roborandis partibus adhibetur, temperamēto humorum debet esse conueniens. Experimēta vero in his non solum periculosa, sed etiam fallacia. Quoniam autem in omnibus rebus est satius præoccurrere, quā post factum deliberare, & auxilia quærere, prius præseruationis modum ponam. Quod ad humores attinet, vt non colligantur, modu & ratio obseruanda, non modo in victu;

ſed omnibus, quæ alterare corpus poſſunt,& res non naturales appellantur, vt aer,ſomnus,venus,affectus animi,motus, euacuatio excrementorum,præcipue cibus & potus,ne quis exceſſus vim naturæ inferat: vini immoderatus vſus peſſimus. Et quia inter vinum & braſſicam naturalis quædam antipathia eſt, vtile creditur ſi podagrici frequenter braſſica ; & pane hordeaceo fruantur. Quod ſi quis ita ſibi moderari in victu non poteſt, vt prouentus materiæ caueatur,ei vix vllũ præſidium relictum eſt, ne ea quidem quæ roborare alias calorem poſſunt : Nam quamuis modus adhibetur in his omnibus, nihilominus tamen difficile eſt aliquid efficere, ne dum apud flagitioſe incontinentes,cũ ſemper in his excrementa adſint, & natura ab his lædatur cũ recipit toties influxum materierũ. Vt autẽ iis ſubueniatur,qui obſequi præceptis&moderari ſibi poſſunt,opera danda, ne colligẽtur humores ſuperflui, ſed ſingulis annis bis certis temporibus à medico præſente expurgẽtur,qui medicamenta vſurpet neq; calorem,neq; ventriculum labefactan-

factantia, & qui facile possunt vomere, ii id singulis mensib. faciant, sin minus lene phlegmagogon eligăt. Ad id prodest mechoaca puluerisata, ita vt ad vnā vnciam pulueris tres vnciæ amygdalarum, & tres vnciæ saccari addantur, misceantur cum aqua rosarum & fiat massa, vt panis marcius, de quo vncias duas ante cibum sumat. Si satis non purgat, dosis augeatur. Vtiliter etiam assumitur pillularum mastichinarum ℥ I. cum agarici trochiscati ℈ j. cum oxymellite vel succo zinziberis in pillularum formam, quales sumi commode possunt, redacta. Cætera fortiora podagricis non suadeo. Et ne tantum ex internis partibus pituitosa educantur, sed & serosi humores, qui maxime defluxum faciunt, necessarium est ad præcautionem, vt quotidie vel sæpius in septimana ad mouendum sudorem assumatur cochleare vnū de hoc destillato: ℞. Meliss. valerian. & baccas iuniperi, aspergātur vino bono dulci, & in aqua melissæ macerentur, ac in vitro destillentur bene operto vase, & ex eo sumatur cochleare vnum quotidie. Sed à sudore caput & to-

tum corpus mundetur,&caput lixiuio,in quo coctum sit polytrichum, ante cœnā lauetur,caueatq;,à lotione aerem. Quod si vires constant, valde profuerit præmissis purgationibus Guaiaci decocto vti,sed ita præparato;

℞ Ligni Guaiaci limita ℔ 1.ß. Infunde aquam feruentem, & stent diebus duodecim vase bene munito vitreato. Huius sume ℔ 1.& adde lib.xII.aquæ. coquatur ad dimidium,in fine inijce pugillos tres chamædryos. Bibe de eo decē diebus vncias sex. Postea viginti diebus vesperi & mane duabus semper horis ante cibum, vt à prandio ad cœnam intersint horæ septem vel octo, & sudes, si potes,horam vnam. Postremo rursus bibe decem diebus singulis semel, vt ita bibatur diebus quadraginta. Vitentur interea acetosa & salsa nimium, & in vno prandio & cœna ferculo vno sit contentus,carne veruecina, vel gallinarum cum vuis passis. Si potest ferre adhibeatur cibo secundum decoctum, in quo ad ℔. 1. ligni, viginti libræ aquæ affundantur, & decoquantur ad tertias appensó cinnamomo

momo in linteolo. Hoc remedio nō modo multi podagræ diu restiterunt, sed in vniuersum ab ea sese liberarūt. Quod vero ad roborationē attinet partium, & sublationem materiæ peccantis in articulis, sunt thermæ, in quibus est vena cuprea, valde conuenientes; Sed non possunt plus iuuare, quam calor sinit insitus. Multi confidunt senecione, quæ secunda eius species est, & herba S. Iacobi vocatur, si in ea lauens quindecim diebus, semper dimidiam horam ante cœnam? aliqui & bis de die. Sed quia natura, & materia morborum dissimilis est, etiam vis nō eādem se ostendit in omnibus. In omnibus lotionibus dū vsurpantur, vel sub ingressum, vapor adhibēdus est pedibus ex baccis iuniperi, storace calamita, Benzoino, garyophyllis puluerisatis, vel trochiscis ꝑ fumo. Multi salutariter vtuntur ligno iuniperi, & in eo aliquot diebus lauant, & maxime laudant ad roborandos articulos. Sane nōn est inutile refrigeratis partibus. Inprimis autem laudatur hoc vnguentum;

℞ Duas ollas supra æqualiter respon-

dentes. In medio pone orbē incrustatum vstū, sed plenum foraminibus, & ita infima olla terræ infodiatur, huic primæ impone ollam alteram, quæ supra terram emineat, in hanc insere ossa contusa caluariæ equinæ,& cum bene argilla munitū vas est, ignis incendatur vndique (sicut cum destillatur lignū iuniperi) tum effluit materia in inferiorem ollam, Hanc materiā seu succum vitro infunde, & illinc deorsum articulos. Alii etiam ossibus humanis ad id vtuntur, aliqui etiam puluere humanorum ossium, sed hæc nō prosunt ad membra roboranda. Quod a. vsus ossium exiccet, atq; ita podagricos iuuet, negari non potest. Sequuntur remedia ad dolorem leniendum. Multi existimant in doloribus nihil esse vsurpādum aut applicādum. Ferri potest hæc opinio, nisi id fiat à præstantibus Medicis, sed iis, qui neque tempus morbi, neq; materiam considerant, verum quia defluxu isto partes admodum debilitantur, & morbus producitur, non est reiiciendum prudentis Medici cōsilium. Nam omnino magna opus est in vsu cautione. Nam quæ in principio

pio dolorum & affluxus prosunt, non conueniunt statui, multoque minus declinationi, aut fini. Igitur & propter intempestiuum vsum & varietatem materiæ sæpe non iuuat, quod iuuit alios. Initio adhibenda, quæ articulos roborant, & affluxum prohibent, vt cornu cerui coctum in aqua verbasci, & applicatum foris. Item santali rubri in aqua plantaginis vel verbasci ad lentum ignem destillata loco affecto applicati. Postquam affluxit materia, & tumescere locus incipit, sume aquam destillatã verbasci, adde myrrham, vel medullã panis albi triticei cum lacte, luteo oui & croco, & impone. Coquatur item artemisiæ pugillus vnus, & in expressione intinge panem, & parti affectæ adhibe: succus item parietariæ cum lacte caprino mistus impositus. Dolorem in paroxysmo lenit in magna inflammatione emplastrum factum ex aqua rosarum, & veronicæ ex pauco alumine, camphora, & fimo vaccæ nigræ loco affecto impositum.

Item: ♃ Mastich.

Thuris,

Myrrhæ,
Animoniac.
Opopanac.
Bdellii,
Mumiæ an. ℥ II.
Vitrioli ℔ I.
Mellis ℔ II.
Tartari ℥ I. ß.
Spiritus vini ℔ IIII.

Destill. id præbet optimum balsamum, lenit mirifice, si penna illinatur, etiam intolerabilem dolorem. Item decoctum ebuli cum fabarum polline, butyro recenti, æquis partibus in olla mistis, impone furno, vt fiat quasi vnguentum, illine locum, qui maxime dolet. Idem præstat aqua verbasci florentis in vino rubro destillata applicata. Item vinum rubrum & oleum rosatum mista. Item olei rosacei ℔ I. Ranæ duæ, & pugillus vnus lumbricorum in vino lotorum, ad ignem coquantur, exprimantur, & applicentur. Radix etiam aron mista cum stercore vaccæ est singulare contra dolores. Item fomentum ex decocto radicis vrticæ. Item vrina destillata pueri peña illita, modo

do prius putrefacta ſit ante deſtillationẽ. Oleum etiam hioſciami commendauit Imperatori Maximiliano Elector Palatinus. Dolorem ſedat quidem, ſed articulos deprauat. Oleum Hypericonis cum terebinthina & lũbricis in frigida podagra vſurpant & chirurgi, & valde vtile eſt refrigeratis partibus. Huius deſcriptio & præparatio valde copioſa eſt, & omnibus pharmacopolis nota. Iuuat etiã catellus dolores podagricos. Item braſſica in aceto cocta, adiectis duobus oui luteis, & pauco aceto roſarũ. Itẽ pulicaria in oleo macerata, & nodis podagricorum applicata. Item muſcus terreſtris cõtuſus calidæ podagræ dolores tollit. Item rapæ coctæ & emplaſtri modo applicatæ. Item muſcus communis coctus vtilis calidis doloribus. Sedat etiam pulegium ſi ad ruborem vſq; imponatur. Frigidam materiam euocat ſuccus cæparum illitus aſperſo pipere. Deinde ſpõgia vino imbuta, in quo cuminum coctum ſit. Helleborus albus coctus & petroſelinum impoſitum. Ad viſcoſos humores in articulis podagricorum fumus ſeu vapor vtilis ex erica cum

floribus,& balneum ex eadem. Item lixiuium ex cinere fagi cum forti vino pedibus vtile est, si mane & vesperi ante cibum imponātur. Cum intumescunt membra eoq; rorismarini herbam & radicē in aceto,& pedes ex eadem laua. Cum materia in articulis induruit, caseum veterem sume, & vstum lapidem molarem puluerisatum misce in decocto crurū suillorum. Radix item cannabis cocta & tusa imposita. Cū desierunt dolores,& articuli ægre mouentur, sume absinthium, origanum, agrimoniam,& artemisiam, eoq; in aqua & vino, & fomenta pedes: alii in lixiuio coquunt acri, & immittunt pedes, apparet plus posse, sed nō ad diuturnitatem. Ischiadici dolores purgationes nō ferunt. Nam humores magis in ea loca decumbunt: vtilius flores verbasci in triticea cereuisia coctos imponere. Emplastrum etiam ex lacte, vitellis & pane, sed pro albo pane sumatur panis autopyrus, & admisceatur aliquid verbasci vel cādelæ regiæ. Item piperitis cum helenio in forma emplastri imposita pustulas paruas efficiūt aquosas,& cum aperiuntur dolorē sedant.

Item

Item si symbrium contusum & impositū. Item pulegium eodem modo vsurpatū. Item chamædrys, vel etiam verbenæ decoctum per tres dies sumptum. Itē: Bryonia vel vitis alba contusa & emplastri loco imposita. Item Peucedani radix puluerisata & cum aceto & oleo mixta imposita. Item folia vrticæ & pulegium in oleo oliuarū cocta. Item calx illota aquæ fontanæ iniecta, & per triduum imposita. Si quando in hac affectione purgatio est necessaria, fiat clyster ex centaurio, melle, & butyro. Si in omnibus articulis fuerit & arthritis est, externa remedia omittenda sunt, & corpus per medicum secundum generalem curandi rationem expurgetur. Est & species arthritidis, quæ vaga dicitur, quod exacerbationes ab vno membro in aliud deferantur. Nisi id est à fluxionibus gallicis decoctum vrticæ vtiliter bibitur.

IOHAN. CRATO. A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XXVII.

Consolatio medica in articularis morbi doloribus.

MVLTA scripsi, cogitaui plurima, & cum præstantissimis in arte Medica viris rationes contuli, de curatione morbi articularis, quē ab vno mēbro desumpto nomine podagrā vulgo vocant, atq; consilium meū iis, quos ex animo iuuare studui, bona fide nihil occultās, vel dissimulans exposui. Vidi etiā atq; id quod multorum cognitionem effugit, perspexi, ad fluxionis procliuitatem, & doloris grauitatem præcipue facere collectionē serosi humoris in corpore, ac medicos ea re siccando, & sudorifera medicamenta exhibendo auxilium ferre debere, sed quādo intelligo me tot consiliis nihil proficere, nō quidem intemperantiā atq; negligentiam vllius accuso, quā haud dubie ii, quibus mens est, ipsi in se culpant, & minime excusandā censent, verum ea, quæ ad cōsolandum quasi dolorē mihi in mentē veniunt, vt hac quoq; in parte fides atq; beneuolētia mea declaretur, subiiciēda putaui. Primū, cum dolores istos à defluxione humorū, vel ab vniuerso corpore, vel quod sępissime accidit, à capite, in articulos tanq̄ partes infirmiores, & loca ignobiliora,

biliora, atq; à fonte caloris remotiora, oriri ſciamus, dum materia cõcluſa in articulis vel incaleſcit, vel partes diſtendit, atque inflam̃ationem parit, æger ſpem vitæ prorogandæ in his terris cõcipere poteſt, cum naturæ fortitudo in hac quaſi expulſione, materiam à partibus principalibus ad minime principales detrudat, & robur ſuũ oſtendat. Sed quando admittere hoc, quod cauere poſſis, ſtultum eſſe exiſtimatur, prudentiæ videtur, operam in primis dare, ne materia in corpore cumuletur, vtq; illius proventus, quantũ in nobis eſt, præcaueatur. Secundo, cum vero dolore oppreſſi, à natura quaſi caſtigari noſtram inconſiderantiam & negligentiam ſentiamus, gratiã huic monitrici habeamus. Ac cum exploratum nobis ſit, materiã iſtam, vel ex victus plenitudine, vel varietate oriri, ſatietatem nimiam, & varietatem ciborum vitemus, certoq; perſuadeamus, hac vna ratione nos & vitæ & valetudini noſtræ optime conſulere, atque dolores, ſi nõ in vniuerſum, certe eorum crebritatem, atq; magnitudinẽ effugere. Si victus rationem optimam & tutiſſimã

medicinam cum Hippocrate statuamus, & ita eã sequamur, vt nihil, quod vllo modo nos lædere prius obseruatum sit, committamus. Si vero in ista attentionis diligentia, & præcautionis accuratione forte dolores recurrant, meminerimus præpotentem Deum bene nobiscum agere, qui nos hoc modo ad meliorem mentẽ reuocat & intemperantiã nostram multiplicẽ castigat. Tertio, sed durum videtur consuetis abstinere, cibum gratum corpori detrahere, sed ab hominũ conuictu subducere, atq; omni suauitate sibi interdicere. Fateor & hoc facilius præcipi, quam obseruari à nobis ipsis scio. Verum cum singularis præstantiæ mentis sit, non ea facere, quæ plurimi faciunt, verum quæ sapientes, atq; optimi dicunt, cum obedire rationi, quam affectioni præstet, sane in hac asperitate victus prudens multa, quibus consoletur, habet. Primum enim natura ipsa simplicissima omnia esse rectissima, atque in iis minimum erroris ostendit, atque in victu minus errare eos, qui simplicem victum præscribunt, quam qui multiplici, atque vario vtuntur, declarat.

Deinde

Deinde mediocritatem in omnibus esse laudabilem,& tutã sani omnes intelligunt & fatentur. Facilius verò nos obseruare eã posse, cum separatim quasi à conuictu aliorum viuimus,& nos à multitudine atq; incitamentis subducimus, certissimũ est. Quarto, quid autẽ sine suauitate vita est, inquies? Aut qua ratione suauia, quæ nocent, vitanda? Longus hic medicorum sermo oritur,& multa, ac magna de cibo atque potu in primis est controuersia, sed prudens absq; præscripto facile potest vitam rectè instituere, si, quæ semel nocuisse animaduerterit, ea in posterum fugiat, & cauenda putet. Ac si forte, vt sumus omnes ad ignoscendum nobis parati, in obseruãdis nocentibus, & iuuantibus valetudinẽ, esset negligẽtior, saltem comunes medicas subiectiones in promptu habeat, atq; illud, Ne quid nimis, quod pueris in scholis, de præceptis sapientiæ præscribitur, sedulo meminerit. Deinde, ne varietate in cibo aberret, simplicissimũ eligat, atq; vno ferculo ex carnib. bonis & sanis contentus sit. Carnes bonas & sanas appellãt Medici, vitulinas, bouinas, iuue-

nes veruecinas. Item auium, quæ non in locis paluſtribus degunt. Gallinarum neſcio quomodo ſuſpectæ ſunt; ſed coctione cum bouinis carnibus illa humoris tenuitas, quæ ad fluxibilitatem materiæ facit, emendari poteſt. Modus tamen in eſu carnium eſſe debet, cum omnia, quæ abunde nutriunt, noxia eſſe certum ſit. Cato & multi alii Braſſicam & alia, quæ pauciſſimum alimentarium ſuccum ſuppeditant, commendant. Si vires hoc poſſint tolerare, facile ad illorum ſententiam accedo, ſed temere vires corporis deiicere, non eſt prudentis Medici. Idem monere de potu debemus. Iis, quibus aquæ potus conſuetus & familiaris eſt, & qui vino nunquam largius ſunt vſi, rectiſſime conſulimus, vt aquam bibant, verum ſi inſignis debilitas inde conſequatur, vini parum, quod naturæ gratiſſimum ſit, denegandum non arbitror. Rectiſſime autem cereuiſiæ aſſuetum valetudini ſuæ moderatiſſimo potu conſulere iudico, præſertim ſi, vt dixi, ſimplicē victus rationem tenet. Pręſtat autem ſimplex victus ratio, vt animus nō modo trā-

quillior & obfirmatior ſit, ſi forte morbus corpus opprimat, cum ſpiritus puriores in ipſo morbo vigent, & melius de rebus præclaris cogitat; easque perſpicit, quam cum integrá ſanitate perfruitur, præſertim ſi ſpiritus potu non turbentur, qui, quo eſt parcior, eo conuenientior. A vino, vt dixi, podagricos, & articularibus morbis obnoxios, prorſus arcendos eſſe, quidam Medici cenſent, ac quorum ætas & ventriculi firmitas ea eſt, vt ſine vino valetudinem ſuſtentare poſſint, nihil accommodatius valetudini facere arbitror. Sed ſi hoc facere non licet, abſtinentiam iſtã graviora valetudinis incommoda ſequuntur. Item hoc monendum parciſſime vinum ſumendum, deinceps ab iis vinis, quæ experientia podagricis noxia eſſe oſtendit, & ratio dictat, vt ſunt Morauica, Auſtriaca, Bohemica atque Vngarica, temperandum. Vſum Neccarici, & tenuiorum vinorum quidam innoxium putant, verum cum ſeroſi humoris in corpore inſtar ſit, admodum fallũtur. Præſtaret igitur mea ſententia, eos qui ventriculo debili ſunt, potius parum

vini Vngarici, vel maluatici bibere, quam tenuia vina copiose haurire. Rhenana quidem salubria putant, nequaquam vero omnia sunt, maxime autem sulphurata. Inter omnia Rhenana saluberrimum podagricis illud, quod à pede anserino nomen habet, vere sentire quosdam arbitror, si moderate sumatur, vel tenue vinum Rhenanum affundatur. Pucinum vinum, si sit purum, neque nimium vetus; item rosatum, vt appellant, innoxia, modo aurea mediocritas diligatur, à Medicis existimantur. Rhetica etiam quædam & Burgundica probant: sed semestria illa dulcia atque turbida vina renum calculis materiam suppeditare res ostendit. Nimium de his, omnium scriptis peruulgatis, verborum feci. Concludo, cum vino sapientiam obrui omnes Philosophi testentur, cumque mentem turbare nullus sanæ mentis volens & sciens debeat, temperantiam in vino, maxime secundum naturam hominis, putandam, atque eam, etsi à morbis articularibus nihil esset periculi, tenendam, quasi podagricis minime moleste ferendam, dum

à mor-

à morbo se illius admoneri sentiũt. Quinto, Expecto, inquiunt, à medicina tua, nõ ab ista philosophia, quæ frustra verba sapientia fundit, auxilium; atq; vt de eo aliquid in medium adferas desidero. Hippocrates, vt monui, noster, omnis boni autor, vere rectã victus rationem tutissimam medicinam statuit. Itaq; cum de victus ratione, quo nõ tantum in cibo & potu moderationem, sed in omnibus rebus sex non naturalibus, vt Medici appellant, complector, à me verba fiunt, vere de medicina ago. Nã vt idem Hippocrates ait: Natura morborum Medicus. Errant igitur quĩ per medicamenta ea se in corpore humano efficere posse putant, quæ nullo modo natura præstare potest. Natura incipientes morbos articulares, cum & ea membra, quæ mandant, id est, humores transmittunt, & quæ suscipiunt, ad suam temperaturam reduci possunt, sanat. Cæterum temperie partium diuturnitate & grauitate dolorum, ita turbata vt nulla spes sit ad iustam temperiem deduci posse. Calore etiam in illis exhausto vel obruto parum agit, imo vt dolo-

res sæpius recurrant facit. Quid igitur obsecro medicamenta quantumuis laudata efficient: Scio veteres sua antidota decantasse, quæ Trallianus recitat. Recentes etiã scriptores multa habere, quæ miris laudibus extulerunt. Radix Chinæ quid non præstare visa est? Ac nuper emersit lignum indicum sassifras. Allatus etiam puluis ex Italia, & veteres compositiones in vsum revocatæ. Verum quid cum istis agas, mēbrorum temperie perdita? Fortissima medicamenta purgantia quidem præscribunt, atque cum detractis per vim humoribus cessare dolores sentiunt, non parum illis tribuunt. Sed quis ea erit audacia, vt repetēda sæpe suadeat? Multi thermas, luta, atq; alia remedia ad confirmandos articulos præscribunt, sed hi partibus affectis tantum consulere videntur. Itaq; cum fomes intra in corpore maneat, minime exoptata consequuntur. De insana cauteriorũ spe nihil dico. Nec vitupero localia remedia, præsertim ea, quæ calorem natiuum in membris fovent & excitant. Sed cum in tanta vel intemperantia, vel corporis vni-
versi

uersi intemperie, varietas materiæ influentis nequaquã sit nobis satis perspecta, vix ex arte vlla localia remedia adhiberi possunt. Proinde, quæ vni maxime conuenerunt, alium interdum grauissime lædunt. Quid igitur, inquies, faciendum? Animus ad omnes casus humanos præparandus, patientia muniendus, & recte viuendo atque ferendo ad laudabilia assuefaciendus. Sexto, video legentem ista vultum ducere, & præsertim eũ, cui corporis cura curæ est. Verum ne quid dissimulem. Galeni sententiam oraculum puto: Ei qui rectam victus rationem tenere nequit, medicinam optimam præscribere superuacaneum esse. Quo vero victus ad nutriendum & augendum corpus est exquisitior, quo plenior, lautior & ad ingluuiẽ paratior, eo nocentior. Detrahendum est in hoc morbo, non addendum, & in primis opera danda, ne cruditati locus concedatur. Hæc enim si quid aliud maxime ad articulares morbos facit. Itaque qui cruditatem vitant, & serosorum humorum prouentum in corpore cauent, hi vel dolores articulorum effu-

giunt, vel moderatius ferunt. Cruditatis autem vitandæ ratio in recta obseruatione sex rerum non naturalium consistit, inter quas post cibum & potum principem locum habet Venus. Sapienter enim fabulantur Poëtæ, ex concubitu Bacchi atque Veneris natam podagram, ac præcipuas causas complectuntur. Excessus enim in Venere plurimũ ad debilitatem partium facit, & vires ventriculi atque cerebri frangit. Potus vini nimius calorem innatum extinguit, & serosorum humorum copiam auget. Serosi humores, si victus nõ sit nimium humidus & potus minime largus, facile caueri possunt, maxime si per vrinam, vel sudores tempestiue excludantur. Facit ad hoc inprimis vsus cornũ cerui, si affectus doloribus articulorum in potum linteolo tectum iniiciat, & matutinis horis in lectulo se ad sudorem componat. Quod si forte hoc medicamentum nimis leue videatur, interdum theriacam vel mithridatum post medium noctis instar pisi vel fabæ sumere proderit. Si plurimum crassioris & tenacioris pituitæ æger congesserit, inprimis

mis vſu mellis acidi iuuabitur, atque minori periculo, quam à laudatis pulueribus vel electuariis, non ſine periculo ſiccantibus, atque hoc modo cum ſiccitas caloris lima ſit, calorem præternaturalem excitantibus. Electuaria ex ſuccis herbarum, vt veronicæ, iuæ, & ſimilium magnopere probo, verum hæc perpurgatum corpus requirunt, & medici conſiderantiam temperaturæ ægri poſtulant. Vnam igitur formulam omnibus præſcribere minime ſcientiæ medicæ videtur. Cum vero non modo hoc requiratur, vt corpus excrementis vacet, verum etiam articuli debiles corroborandi ſint, præſcribere ad illud certum aliquod remedium in tanta varietate temperamentorum atque lapſuum, quomodo poſſumus? Illud reticere non debeo, cum materia plerumq; à capite defluat, plurimum adiumenti quibuſdam lotiones capitis attuliſſe, præſertim ſi hoc ceratum, quod ex cera & ladano aſperſo ſuccino albo atque ambra fit, roſis etiam & ſantalis, cum caput eſt calidius, impoſitum geſtetur. Hæc pauca remedia, quæ recta atque

tuta esse multis rationibus veris & euidentibus ac exemplis etiam probare possem, subiicienda putaui. Nequaquam vero aliorum scientiæ, qui sua laudant, obsto. In oculos incurrere arbitror quantũ in hac parte & ægrotantes & medici fallantur, atque infinita exempla, tum mediocrium hominum, tum vero summorum Regũ & Principum testantur. Exemplo autem sapere tutissimum est. Cæterum si quid alicui Deus, quo articulos iuuari sentit, offert, siue per medicum, siue per alios, cui recta ratio consentiat, is ei acceptum referat. Experimenta vulgaria sequi, falli non minus est, quam in istis potionibus chinæ, sarsæ & similium decoctorum spem ponere. Si quid enim iuuare videntur, hoc victus ratio præstat. Opinione vero nostra, vel persuasione medica nos decipi, cum idem summis hominibus, qui toties decocto illa hauserunt, acciderit, æquo animo feramus, ac quando ad eundem lapidem bis impingere prouerbium vetet, non temere naturam affligemus. Semel in communem errorem cum magnis & sapientissimis

ſimis incidiſſe ſolatio ſit. Cum vero obſeruatio diligens atque moderatio prudens in victu ſemper iuuet, nunquam lædat aut fallat, eam negligere non modo extremæ ſtultitiæ atque amentiæ, verum neglectionis noſtri, quam pietas vetat, putemus, & cum noſtra culpa nihil admiſſum, quo dolor ſit accerſitus vel auctus, conſcientia nobis teſtis fuerit, ſummam conſolationem abeſſe à culpa nobis perſuademus, atque neceſſaria recte ferre, néque Deo repugnare placide ſtudeamus.

IOHAN. CRATO.
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XVIII.

De febribus malignis.

IN iſtis vulgaribus febrib. nihil ad præſeruationem conuenientius, quam vt & victus ratione, & iis quæ ventrem leniunt, opera detur, quo corpus excrementis vacet, & perſpirabile ſit. De his extant multa præcepta medica, & mediocriter diligens cuſtos ſuæ valetudinis, poteſt ea, quibus ſe pergrauari ſemel obſeruauit,

cauere. Longe autem alia est curatio febris illius, quam morbum Vngaricum vocant, & pestilentis, quæ petechiis & maculis insignita est. Nam morbus vngaricus, quem ego synochum putridam esse iudico, (licet alii causonem, seu ardentem, quæ à putredine bilis oritur, & cum tertiana continua magnam affinitatē habet, esse putent) peculiarē quendam putredinis gradum & cerebri affectionē secum trahit, ad quem in curatione respiciendum est, & capiti in primis secundū febrem, quæ cor affligit, cuius fomes in tota massa sanguinis est, consulendum. Sanguis autē in synocho ista putrida omnino vel ante tertium diem, sicut etiam in febri pestilenti petechiis insignita, mitti debet, vel prorsus omitti illius emissio. Vacuatio vero in synocho per agarici infusū recte fit, in petechiis manna, syrupus rosatus solutiuus cum infuso rhabarbari addita cāphora in potione dentur. Processu vero temporis à vacuationibus abstinendum, & in synocho putrida cum putredine sola pugnandum, ita tamen vt symptomatū & maxime affectionū capitis, quæ diuersa sunt

ſunt habeatur ratio, nec dentur camphorata, quæ in dolore capitis minime conueniunt. Recte autem capiti applicatur raphanus comminutus, item ſoleis pedum, primum aceto atq; ſale mundatis, intra corpus ſuccus raphani datur, & ſingulis diebus matutine decoctum ſcordii, vel deſtillatum cum ſyrupo è ſucco ſcordii hoc modo:

℞ Aq. ſcordii ℥ III.
Succi raphani ℥ ß.
Syr. è ſucco ſcordii ℥ I. Miſc.

Detur aliquot diebus, nam in eiuſmodi febribus non ſemel, ſed quotidie cum putredine pugnandum, neq; poſt antidotum ſemel exhibitum quieſcendum. In petechiis autem opera danda, vt materia, quam natura ad cutem tranſmittit expellatur. Itaq; in loco calido, & ab omni intemperie aeris munito æger cubare debet: ſumere initio ante diem quintum hanc emulſionem quotidie.

℞ Aquæ cardui ℥ IIII.
Sem. napi,
citri a. ʒ I.

Fiat ſeminum emulſio, & addatur vel ſy-

rupi de corticibus citri, vel è ſucco ſcordii ℥ ß. interdum admiſceo ſpecies liberantis, vel pulu. cornu cerui. Pro roboratione virium bibat emulſionem margaritarum. Ex his paucis eruditus Medicus multa poteſt colligere. Nam abſq; Medici conſilio curatione nolim inſtitui. In curatione etiam magnus vſus eſt huius electuarij:

℞ Succi ſcabioſæ,
Scordii,
veronic.
cardui an. ʒ II.
Mithridat. vel theriac. electiſſ. ʒ III.
Sem. citri excortic.
napi a. ʒ I. ß.

Syr. de cortic. citri q. ſ. ad lentum ignem f. electuarium. Datur ad drachmam vnā in aqua cardui, & vt æger ſudet præcipiēdum. Diſputant Doctores Itali de Theriacæ & Mithridatii exhibitione. Eas diſputationes ad meum iudicium, cum hæc feſtinans ſcribam, nō revoco. Quin vero in multis corporibus rectiſſime adhibeatur, plane non dubito. Curationem autem ſynochæ putridæ, à peſtilentis petechiis

chiis seu maculis insignitæ differre, qui non videt, nimium in re medica inconsiderans est. Cõsiderantiæ autem prudentis mihi videtur, in popularibus morbis, prçcautionem, cum exigua etiam sunt indicia, adhibere, quam dum res in discrimen summum deducatur exspectare.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XXIX.

In capitis debilitate, pro quadam nobili fœmina.

NVPER quædam remedia præscripsi, quæ capiti & cerebro auxiliantur, ita vt vaporum vim facilius superet, & spiritus puriores reddat. Venit autem mihi subdubitare in mentem, sitne cerebrum in præstantissima fœmina per se affectum, an per consensum laboret. Ac cum de sensuum integritate non dubitem, vel saltem de læsione nihil intelligam, arbitror cerebrum per consensum affici. De membro vero consentiente dubito; cumq; ad rectam curationem

causæ dignotio requiratur, præsertim cú sanare nihil aliud sit, quam causas per cõtrariorum rectam administrationem auferre. Primum igitur videndum est, quæ causa illos turbulentos spiritus seu vapores producere, & productos commouere possit. Ea si est in cerebro primo & per se affecto, obseruandum calida ne intemperies sit, videlicet corrumpens, an frigida condensans, & obstructiones faciens. Quod ex ipsa duratione, & reliquis notis intemperie facile est æstimare. Si vero cerebrum per consensum laborat, videndum vtrum sit ab vtero, qui clausus sanguinem impuriorem, & fumosum (sicut fit hæmorrhoidibus suppressis) reddat: & an vterus aperiri possit, & debeat, an vero massa sanguinis contemperanda. Cõsentit interdum ventriculus cum vtero, sicut epar & lien. Itaque cruditates, appetentia nulla, vel corrupta, nausea, dolor stomachi, &c. Non vero etiam ventriculus per se, vtero minime affecto, vapores noxios transmittit, dum prauis & vitiosis humoribus repletus est. De his omnibus præsens Medicus diligenter admonendus

dus eſt, vt cogitet, atque in eo plus, quam certis medicamẽtorum mirificis formulis ſitum putet. Medicinam tamen expertam cum ratione adhibitam, plus valere ea, quæ interdum ſubito à doctiſſimo etiam Medico magna ratione adhibita excogitatur, non dubito: atque hac in parte rationales etiam Medicos empiricis cedere debere, de ſententia Hippocratis ſtatuo.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XXX.

In dolore dentium, pro quadam nobili matrona.

EVVLSIO dentium non eſt vera odontalgiæ curatio. Sed quia hoc pacto materia ad effluxum reperit aditum, certo obſeruatum eſt, nõ ſolum hos dentium dolores; ſed & diuturnos capitis dolores ſedatos. Verum ordinaria curatio eſt, vt Domina ſæpe vtatur drachma vna pillularum Aſſaiareth duabus horis ante cibum, & cucurbitulas apponat in brachijs *Germanice idiomate ſcriptum.*

& ſcapulis, ac ad auriculas applicet hoc emplaſtrum:

℞ Fermenti ℥ ii.
Cantharid. ℈ i.

Cũ aceto extendatur in aluta inſtar nummi, & f. emplaſtra quinque. Humecta aceto, & pone aures applica, vel ſi cauus eſt, inſere hanc radicem:

℞ Hyoſcyami ℥ ii.

Eandem radicem coque in aceto, & aqua roſarum, & foue decocto illo dentes. Poteſt & fieri decoctum meliſſæ, aut radicis tormentillæ. Item tenera germina quercus eodem modo coquuntur, & abluuntur eo dentes, quæ remedia DEVS bene fortunet.

FINIS libri II. Conſiliorum medicinalium.

EPI-

EPISTOLARVM MEDICINALIVM LIBER II.

IOHAN. CRATO A Kraftheim, &c.

N. N. S. D.

SVPERIORIBVS proximis diebus mentionem fecisti de quatuor elemẽtis ex chelidonia arte chimistica extrahẽdis. Respondi tunc me nescire in quam partẽ chelidoniæ vocabulum sit accipiendum. Nam & de herba, & metallica operatione chimistas vsurpare. De herba cum dictum intelligerem, non potui in tẽporis angustia meas cogitationes explicare. Eas igitur nunc hoc scripto expono. Dum mense Maio chelidonia floret, sub plenilunium in locis aridis tota herba nouem librarum pondo colligitur, & huic libra vna salis torrefacti apponitur, atque in vitrum destillatorium capax coniicitur, & per quindecim dies in fimo sepelitur dũ

Quæ sint et quatuor ita appellata & decantata à Chimicis chelidoniæ elementa.

uenit, prius quàm tota diſcedat, non repugno. Si inflammatum ſanguinem citra putredinem, (hoc enim IX. Methodi Galenus ſynocham appellat) putas, oportet vt oſtendas, omnia corpora, quæ catarrho iſto contagioſo laborarunt, plethorica & plena ſanguine fuiſſe: inflammata etiam corpora μιάσματα exſpirare. Certe aliud & res ipſa & curatio indicauit. Hippocrates catarrhum excitari pariter à calido & frigido teſtatur; & conſentit Galenus, ac in libro de flatibus manifeſtè febres à catarrho ortas, putridas eſſe oſtendit. Hanc etiam febrem fuiſſe putridam, indicio fuit. Calor minimè mordax, intus magis, quèm foris moleſtus, pulſus inæqualis cũ ſyſtole accelerãte, vrinæ crudæ in initio, & craſſæ in progreſſu. Ac cùm ii humores putreſcant, qui redundant in corporibus, atque vel natura, vel arte vacuantur, conſentaneum eſt, cùm hic morbus in plæriſq; omnibus per ſudores ſit finitus, atq; hic & alibi per excellentiſſimos Medicos diaphoreticis medicamentis curatus, in ichoribus putredinem fuiſſe. De nomine febris non contendo. Ad eas

& fuiſſe: quæ fuere cum hoc Epidemico.

Referteas ad πεμφιγώδεας Hippocratis.

quas Galen. πεμφιγώδεας & πνδματώδεις seu humidas appellat, (siquidem πέμφιξ, cuius varia est interpretatio, idem quod πνεῦμα, vt Thucydides autor est, significat) rectè referri posse puto. Esse etiam spiritus & ichores omnium morborum contagiosorum, quorũ seminaria attractu aëris hauriuntur, vehiculum, atque in iis morbis maxime elaborandum, vt sudoriferis & hydroticis noxium foràs depellatur, & principes partes in corpore, inprimis verò cor, muniantur: res ipsa satis declarat.

Subiectum earum præcipuè fuisse ἰχῶρας. Et ideo venæ sectionem ita fuisse noxiam.

Itaque nisi alia missionem sanguinis, atq; vacuantia medicamenta suadeant, perniciosa ea esse, cùm intrò reuocent hoc quod natura expellere per exhalationes atque sudores contendit, & virtutem expulsiuam debilitent, Medici experiuntur. Non dubito, quin in hac quoque febri in multis hominibus atque locis putredo sanguinis massam attigerit, & in iis missio sanguinis profuerit. In plærisq; omnibus autem ἀναλογίαν habuisse ad ichores, &, vt dixi, vel à natura, vel arte, sudore aut insensibili perspiratione ęgros sanatos constat. Mantuæ Carpētariæ, Romæ, Bononiæ

noniæ, Venetiis plæriq; omnes absq; sanguinis detractione sunt sanati, paucis propter capitis dolorem adhibitæ cucurbitulæ, & quibus astricta aluus fuit, lenientia data. Neapoli & in Sicilia, in qua hoc morbi genus ferè est anniuersarium, quẽadmodũ de Mitylene, spirante Coro, Vitruuius refert, tutò sanguinem missum affirmant. Etiam de Gallia & Saxonia hoc quidam, fortasse vt suo errori patrocinentur, referunt. Euentus hic ostendit, grauiter illos periclitatos, & literis ex Hispania missis perscriptum est, supra duo millia hominum, quibus in vnica vrbe Mantua Carpentaria, vbi regia est, sanguis fuit detractus, intra paucos dies obiisse. Rex ipse, nescio an isto communi morbo, ad Lusitaniæ fines ægrotauit. Febrem autem ardentissimam cum summo capitis dolore habuisse, & nihil factum morte ipsa propius, perscribunt. Medici XXIII sanguinis vncias per cucurbitulas detraxerunt: XIIII incisa vena. Nosti Hispanorum Medicorum in hoc auxilii genere audaciam. Rex potentissimus beneficio Dei est seruatus & cõualuit, Fortasse syn-

ochus putrida fuit, in qua Galenus etiam ad animi deliquium sanguinẽ misit. Sed in hac catarrhosa febri etiã Hispanis non profuisse euentus Mantuæ docuit, & nos satis multa exempla erudierunt. Morbificas certè causas, dum mouentur, perniciosiores esse, Galenus cõtendit. Et morbi breuitas, securitas, atque quod nulla internorum viscerum magnafuit inflammatio, quodq; natura aliam viam, quam per sanguinis missionẽ, & vacuantia medicamenta monstrauit, eruditis persuasit. Multi in Germania, & ii præsertim quibus malè cessit, de sanguinis missione pugnant, quod quidã per sanguinis fluxum è naribus sint curati obiiciunt. Verum ego his non moueor, neque inficias eo, ad sanguineæ massæ putredinẽ malum peruenisse: sicut etiam catarrhus in quibusdam pleuritin, in aliquibus peripneumoniam concitauit, atque in iis sanguis, propter alterius morbi vim reprimẽdam rectè est missus. Sola verò sudorifera & putridinem inhibentia, morbo huic auxilium tulisse, qui negat, ille rerum omniũ vel nimis imperitus est, vel admodũ impudens,

Et instantiã contra id quandam soluit.

pudens. In Hiſpania lapis Bezoar plurimum profuit, eo quoque Imperator, & alii quibus ad manum fuit, hic ſunt vſi. Ego magno ſucceſſu cornu cerui cum aqua ſtillaticia cardui exhibui, & omnibus diaphoretica medicamenta, quæ occultæ malignitati & cõtagionis cauſæ aduerſantur, profuiſſe animaduerti. Reſiſtere autem hæc eadem putredine, quis non videt? Concludo igitur fuiſſe febrem cõtinuam putridam ichoribus inhærentem, & Hippocraticæ ſententiæ innitor. Indicat curatio. Putredinis gradus diuerſitatis contagionis, & morborum, ac præſertim nouorum (licet hunc morbũ nouum eſſe non credam) cauſam eſſe, alias plenius oſtenſurus ſum. Non ſunt enim illa ἐπιστολικὰ ſed accuratiorem cogitationem, & tempus à curis vacuum, (quo ego plane in his miſeriis aulicis, vbi & corpore, & animo diſtrahor, egebam) requirunt. Vides ipſe me hanc epiſtolã, vt exaraui, mittere. Itaq; ſi vel diligentiam, vel explanationem firmiorem atque dilucidiorem deſiderabis, feſtinationi, qua vel vtendum eſt mihi, vel nihil agendũ igno-

ſces.Bene vale.28.Octobr.Anno 1580.

IO.CRATO A KRAFTHEIM, &c.
Hieron.Mercuriali Med.S.D.

SCIO non ex litterario officio exiſtimandam beneuolentiam. Itaque etiamſi interdum ſileant tuæ, nihil de amiciſſimo animo tuo diminutum puto. Miſi autem ad te pleniſſimas de epidemico morbo, & quid ad eas ſis reſponſurus exſpecto Febres catarrahales, ſynochas non putridas eſſe, cum qui iis laborant, plenitudine interdũ nulla affectos videamus, vt exiſtimem adduci nequeo. Imo in catarrhoſis pituitam putreſcere, & putridũ quiddam eos exſpirare indicio ſunt coryzæ, habitu etiam contagioſæ. Id cum vulgus in Germania ſciat, nõ facilè ex eodem poculo, è quo coryza laborans potum hauſit, bibit. Acaffici quorum capita infirma & pituitoſa ſunt, res oſtendit. Eſſe autem exhalationem putridam certi gradus contagii fomitem planiſſimè mihi perſuadeo, ac ſi erro, aliam mihi cõtagii cauſam oſtendi cupio. Gradum putredinis explicare tam non poſſe quenquam

Quomodo etiam corizæ ſint quandoque contagioſa.

quam puto, quàm naturales sympathias & antipathias, amicitiæ & dissidii causas. Is qui μιάσματα instar mõtis esse oportere scripserat, hoc opposuit, Cùm seminaria illa tam multis diebus durauerint, & noua quotidie ex corporib. infectis exhalauerint, cumq; qui semel ex morbo conualuerunt, & aerẽ continentem μιάσματα attrahere eos oportuerit, cur non iterum sæpius in morbum reciderint? Ad quod respondi, primum à consuetis nos minus affici. Esse autẽ agentium naturaliter eam vim, vt aliquo modo passũ assimilẽt. Itaq; naturã in conflictu illo consueuisse quasi, minusque seminaria forte hausta noxia iam etiam expurgatis corporibus fuisse. Contagi etiam & fœtoris magnã esse similitudinem. Sic multos in locis sordidis habitantes, fœtidis & impuriori aeri videmus assuescere, vt nõ afficiantur, cum lædantur sani qui eos accedunt. Idem in peste fieri, in qua ex salubri aere aduenientes facilius afficiãtur, quam ii qui cum ægris sunt conuersati. Quosdam tamen secundo laborasse, sicut & in peste accidere videmus ostendi. Est enim semper in-

Instantias contra hanc sententiam soluere conatur.

ter agens & patiens proportio quædam, ſi patiens fortiter reſiſtit, nō fit impreſſio, ſi debilius & languidius eſt, inpugna ſuperatur. Oſtendi hoc cum aliis exemplis, tum veneni. Multis autem modis patiens ſæpe munitur, ne agens vim ſuam exſerere poſſit. Sed de his nimis multa. Bene vale.

IO. CRATO A KRAFTHEIM, &c. N. N. S. D.

Pro præſeruatione, ſenes inprimis non purgandos eſſe: ſed leniendam iis eſſe aluum.

QVÆSITVM fuit, Rectumne eſſe videatur, hominem in declinante ætate conſtitutum, ſanum vt nunc, occupationibus grauibus diſtentum, in coniugio atq; victu non ſatis temperantem, quotannis præcautionis cauſa medicamentis ſcammoneatis, & electiue, vt loquuntur ducentibus purgare. Ad hanc quæſtionē reſponſum, primùm cacochymiam indicare vacuationem per medicamenta, atque eam, quæ cum plenitudine ita coniuncta ſit, vt morbum factum, certis indiciis videatur. Certa indicia imminentis morbi non indicari in hoc corpore. Ergo me in iſta ætate electiuè purgantium medica-

dicamentorum, videlicet, quæ ex ſcammonea, turbith, colocynthide componuntur, vſum, non poſſe probare. Secundo, in declinante ætate abſumi per ſe humidum radicale, & calorem innatum debilitari. Vtrumq; verò adhibitis fortiſſimis medicamentis non fruſtra metui. Medicamenta enim iſta validè ſiccare, & cum humores malos educunt, ſimul natiuum, cui calor inſidet, affligere. Deinde cum ſint calida, ſuo calore, qui minime eſt temperatus (ſolo enim temperato calore innatus calor fouetur) natiuo calori vim afferre. Tertio, in cruditatibus & vſu veneris, nulla ratione indicare purgantia medicamenta. De crudis enim nullum eſſe dubium quin coctionem indicent: venus verò cùm ſpiritus exhauriat, & caput ac ventriculum inprimis afficiat, quo pacto ſimile nocens ſimiliter nocenti, iuxta regulam adhibemus? Quarto, Regula generali nos vti, in præcautione adhibenda medicamēta τῶν ἐμικρῶν. Quod autem in catapotiis aureis & cochiis nō maximum, ſi purgandi intentionem reſpicias? Quinto, Medicamenta electiuè (vt

loquuntur Medici) ducentia, non ſolum noxia eſſe ventriculo, quod calorem præter naturam excitent, verum etiam malignam qualitatem, qua vitioſi humores attrahantur, indicant. Itaq; paulo poſt tales purgationes ventriculum prauis humoribus repleri. Sexto, rectam victus rationem, ſecundum Hippocratis ſententiam, tutiſſimã eſſe medicinam. Ad hæc quid reſpondeatur. Primum ait ſe non ex euẽtu, qui opinione proſperior fuit, neq; ex autoritate, quæ Achillis ſit, ſed natura rei & methodo contrariũ velle oſtendere. Neq; initio de temperamento corporis vult conſtituere, cùm ante annos prope triginta ego luculenter de eo ſcripſerim. Promittit deinceps ſibi victoriam ſi modò adhuc medicinam Hippocratis & Galeni profitear. Deinde de curatione febris ephemeræ agit, & plenitudine, cuius index fuerit catarrhus, ſe adductum, vt catapotia aurea atq; cochia exhiberet. Reprehendit cunctationem medicorũ, & de ſua animoſitate loquitur, atque de curatione methodica catarrhi agit. Hæc nobis cõſideranda. Nihil propemodum

In id hiſtoria & caſus quidam.

ad

ad rem Medicum illum dicere apparet, & me nimis inclementer tractat, cum in illius facta nunquam inquisiuerim, nec inquirere voluerim. Mirificam autẽ suæ artis medicæ scientiam prodit. Totis viginti octo annis (tot enim sunt, cum ego Heinzelio cõsilium illud scripsi) temperamentum non mutari, cui obsecro verisimili videtur? Itaque cum ex rei natura & methodo voluerit sua demonstrare, certe fundamentũ quasi hoc ponendum erat. Egregia vero illa consideratio naturæ rei materiam biliosam in vniuerso corpore commotam ex animi quadam perturbatione isto modo causam febris ephemeræ statuere, vt expurganda etiam videatur: Nunquã ab Hippocratis & Galeni doctrina discessi, nec discessurus sum, ephemerarum vero febrium ab ira & cõmotione animi ortarum, spirituum immodicam calefactionem, non humorum esse ab illis didici. Hoc etiam noui, cum vacuatio humorum non fiat absque motu, (non enim nunc dico quod Galenus affirmat medicamenta omnia purgantia calida) & motus humores ac spiritus ca-

lesaciat, in ephemera febri purgationem non indicari. Methodicam ne igitur & rationalem curationem, an euentum prosperiorē sua opinione hic Medicus commemoret, doctorum Medicorum esto iudicium. Ad catarrhi curam quod attinet, videamus ipsius analysin. Catarrhus est symptoma, rectè. Morbi, symptomatum causæ, est autem morbus intemperies frigida atque humida cerebri cum materia. Materia ob multitudinē non potest concoqui, ergo euacuando. Nemo qui prima rationalis Medicinæ principia didicit, hęc negabit, sed Medico illud probandū fuerat, Fuisse & multā materiam, vt non potuerit à natura euinci, & ne grauius malum afferret, periculi indicia proferre. Nam nisi hoc probet, stat etiā nunc, materiam fuisse concoquendam, & eo ducendam, quo natura vergeret. Non enim verè turget pituita, cùm sit humor frigidus. Peccatum igitur esse in methodum resolutiuam apparet. Videat autem quá ex natura rei agat, cùm validam naturam & locum affectum validius medicamentum requirere affirmat. Valida enim natura

tura & virtus expulsiua fortis etiam debiliori medicamento adiuuari potest, & naturæ morborum Medici. Deinde locus affectus purgationē non indicat. Nisi forte medicamenta ad partem affectam proficisci hic medicus opinatur. Est autē hæc purgatio reuulsionis species, qua materia catarrhi à capite trahitur, & reuellere nos posse, (respicientes πρὸς τὸ κατεπεῖγον) non expectata coctione scimus, & beneficio Dei, priusquam Medicus ille Medicum libellum attigit, didicimus. Nihil igitur de sua audacia commemorabile narrat. Neq; regulam, concocta medicari oportet, &c. euertit. Nec de sua confidentia tam gloriosè loqui debebat, cum peruulgatum sit, magnam Medicinæ partem audacia constare. Siue cunctandum sit, siue accelerandum semper naturam & rationem ducem sequor, & tam mihi potentia medicamenta, & eorū vsus rectus, quam huic Medico nota sunt. In acutis morbis nullus vnquam me cūnctari vidit, nec in chronicis cessator fui, plures fortasse ægros, quàm hic Medicus aspexit, beneficio Dei sanitati restitui. Cum D.

Achille non eſt mihi negotium. Ne hunc igitur admiſceat. Nunquam hic Medicus curationes meas, (quod ſciam) inſpexit. D. Achilles ante triginta annos apud ægros mihi additus fuit, ſi quid is habet, quod reprehendat, proferat. Multa vſu artis interea didici. Neque tamen (vt falſo ille putat) ad empiricos planè me contuli. De coctione materiæ bilioſæ & tenuis nimis longum eſſet agere, neque inſtituto noſtro conueniens. Quod ad ſtimulum medicamentorum, vt vocant, attinet, non videndum quid quis dicat, ſed qua ratione dicat, exiſtimo. Agimus de vacuatione quæ præcautionis cauſa adhibetur. De ea ego hoc affirmo, cum eam requirimus neceſſe eſſe, vt de morbo quē formidamus, & eius cauſis conſtituamus, deinde poſſe de medicamento rectè agi, cum indicatio, quæ collatio nocentis & conferentis eſt, methodice actioni prælucere debeat. Cæterum quod huic Medico, exhibito purgante medicamēto perinde eſt, ſiue per ſuperiora, ſiue per inferiora purget, in Aſclepiadis vel Eriſiſtrati ſchola didicit, & nouum ſe Hippocratis in-

interpretem facit, cum FACILE ferunt illi hoc videtur, si tribus horis post assumptum medicamentum æger vomat, & in deliquium animi incidat. In analysi etiã sua ostendit materiam pituitosam, deinde huius oblitus biliosa vomitu reiecta scribit. Accedit deinceps ad secundam rationem, & me non primam obseruasse ait, medicamenta purgantia senibus obesse. Nunquã hoc mihi cogitare in mentem venit. Colligi etiam plura excremẽta in senibus calore debilitato, quàm in iuuenibus scimus. De eo autem quæritur, sint ne ad προφυλακὴν conuenientiora, recta victus ratio & exercitia tempestiua, quam medicamenta electiuè, vt loquimur, & cochiis atque aureis pillulis, quæ scammoneam, colocynthidem, turbith accipiunt purgantia, cum beneficio DEI nobis meliora & tutiora sint ostensa. In isto totius negotij cardo vertitur, concedere quidem nobis Medicus videtur, verùm ne errasse videatur, statim ad ingenium redit, & illud affert, in hoc casu, vt loquitur, excrementa vltra tempus (sua illi verba propono) retenta, plus victus

rationem incommodasse, quam profuisse. Sunt ista prorsus paradoxa. Nam ex victus ratione recta vllum esse incommodum insania est dicere. Naturam autem (id quod & constitutum) validã & viis (vt loquitur Medicus) aptis vltra tempus excrementa coaceruata retinere, & permittere vt calorem strangulent, quam recte dicatur, Medici docti iudicent. Pueriliter autem ineptit, cum medicamenta πρὸς τὶ dici, me docet. Sciui hoc fortasse prius, quam ille literas didicit. Et hoc ago, hoc vrgeo, vt eam corporis constitutionem, quæ postulet vt quotannis talibus electiuè purgantibus medicamentis, qualia sunt colocynthis, turbith, scammonea, vti D. Heinzelius debeat, demonstret, & hoc recte atque cum vera ratione fieri ostendat. Hic illi ad primam, secundam, tertiam, & quartam rationem à me allatam respondendum erit. Ad quintam meam rationem hoc adfert. A purgantibus plures congeri humores: absolutè verum non est, sed cùm sex rebus non naturalibus magis delinquitur, qua ratione, qua humanitate ista dicantur, æqui & in-

iqui

iqui iudicent. Non ago simpliciter de purgatione, sed de purgatione per ea medicamenta, quæ commemorata sunt, loquor. Ea dico ventriculum qualitate quadam trahendi humores imbuere, ita vt paulò post non minus humorum ad se attrahat, quam medicamento ipso præsente attractam fuit. Hoc vt affirmem, tam Græcorum, quam Arabum authoritate adducor. Veras & firmas rationes, quas & Galenus & Montanus euidenter monstrant, habeo, & experientia hoc edoctus sum. Neq; tamen ἁπλῶς & simpliciter hæc medicamenta reiicio, sed in loco, & cùm meliora ad manum non habemus, laudo. Commendare verò glandes frugibus repertis inscitia est. Non iam agimus de neglectu sex rerum non naturalium, de quo à Galeno nostro ita monemur: Qui rectā victus rationem tenere nequeunt, iis optimam medicinam præscribere superuacaneum esse. Quod verò addit Medicus de refrigeratione caloris, si ex accidente hoc intelligit, largior illi: si simpliciter, physica principia eum ignorare existimo. Ac impropriè dicitur, cruditatum

prouentum augeri à medicamento. Neque declaratur quid sit illud, vrgens malum quo posthabito sit purgandum. Profectò si doctrinæ Hippocraticæ & Galeni studiosus esset, & ex fontib. potius, quàm lacunis Medicinam hausisset, aliter sentiret, & de re Medica scriberet. Postremam rationem Hippocraticam inuictam ἐν τῇ τροφῇ φάρμακον τὸ ἄριστον probat. Meũ vero exemplum quod amico proposueram, qui in ista hæresi iuuenis fuerim, vt nõ putarem me à morbis tutum, nisi crebris medicamentis purgantibus vterer, improbat. Quam ignarus verò sit aulicorum morum apparet. Totis iam XIIII annis alieno modo mihi viuendum fuit, edendum, laborandum, somnus capiẽdus, non quando natura & voluntas hoc postulauit, sed cùm dominis visum fuerit, vbi igitur exacta illa mea diæta? Ait me non catarrhis laborasse, cùm nihil non mali ab illis sim passus. Viribus corporis deniq; D. Heincelium superare. Quid? vel malis oculis vsus est, vel me Medicus nunquã vidit. Roborantia deinceps medicamenta quæ suo calore paulatim materiam

teriam absumere possint, vel calorem natiuum fouere, velit, nolit, admittit, iis verò vti quid negotia, quid vita ciuilis impedit? concludit ad extremum, non in controuersiam se illud vocare, quod in controuersia maximè est, videlicet, an in ista vita, in tali ætate πρὸς τὴν προφυλακὴν rectè quotãnis medicaměta ista, quæ nominata sunt, & D. Achilles (id quod nunc primũ rescisco) sæpè vsurpauit, D. Heincelius ad annuas purgationes adhibere debeat, an verò mitiora & benigniora illis præferenda. Nam de epicrasi hic agere ineptum esset, cum de præcautione sani vt nunc agatur. Neque catarrhi (de quo nihil prius sciui) materiam nunc reuellimus, neq; temperiem cerebri curamus. Nihil etiam de medicamentosa victus ratione (quod sciam) actum est. Nisi fortè (quod non memini) potum medicamentosum, id est, vinum cum carduo benedicto vel betonica præscripsi. Exquisitam verò victus rationẽ, quæ omni reprehensione vacaret, planè non attigi. Quid igitur de lana caprina? Si Medicus me hoc mihi sumere putat, vt ex præ-

ſcripto meo præſentes Medici ægrum curent, & poſthabitis ſuis medicamentis, quæ recta ac conuenientia videntur, noſtris vti debeant, magna me iniuria afficit, & de me nimis conſideratè iudicat. Non addam plura. Morem tibi vir præſtantiſſime geſſi. Cum Medico vero, qui tam doctum ſe putat, vt Cratonem contemnere poſſit, ne verbulum quidem commutaturum me amplius profiteor. Subiicio autem iſta non tuo, ſed omnium Medicorum rationalem medicinam amantium & intelligentium iudicio, & me tua cauſa, non Medici, hæc ſcripſiſſe affirmo. Sic igitur concludo, hominem temperantem iſta ætate, iſta conſtitutione corporis, qua tu es, ex medicamẽtis quæ cruditates in corporibus collectas paulatim abſumunt, calorem innatum roborãt, recta victus ratione & exercitiis conuenientibus adhibitis, plus adiumenti, quam expurgantibus medicamentis capere. Qui verò rectam victus rationem tenere nolunt, iis optimam medicinam (vt Galenus noſter ait) præſcribere ſuperuacaneum eſſe. Bene vale, & me ama.

HIE-

HIERON. MERCVRIALIS &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

SED iam ad id deueniendum est, quod à me postulare obnixè videris: vt tres illas dubitationes, quæ animum tuum ancipitem reddunt, ex mea sententia explicem dissoluamque. In qua re dabo operam, vt potiùs in me satisfaciendi tibi facultatem, quàm desiderium aut voluntatem defuisse perspicias. Primum itaque dubium, quod proponis est: An iecoris substantia in cruentis dysenteriis excerni possit. Cum tibi παραδοξότατον videatur, vt dicit vulgus medicorum, frusta interdum excreta cōspici. Mihi certè res creditu dura est; sed quæ tamen & veterum & recentiorum medicorum clarissimis testimoniis confirmatur: Quod naturas res miras & nobis ignotas interdum operetur, facile qui medicinam faciunt, quotidie explorant. Ego sanè à iecore nō semel vidi per aluum magnam sanguinis eductam copiam. Sic fieri potest, vt corrosa iecoris substantia, atq; in furfurum formam redacta vnà cum sanguine excludatur. Frustra verò maiora nonnun-

Etiam hepatis ipsum παρόγχυμα posse frustillatim aluo reddi.

quam videri, quàm vaſorũ per quæ tranſeunt amplitudo ferat, eſt ſane præter naturam atque ἀδυνατώτατον, perinde ac ſi camelũ per acus foramen pertranſire quis dicat. De philtris, quæ ad conciliandum amorẽ mirificè conferre antiquitas credidit, mea ſententia eſt, neque illa exiſtere, neque medicorum prudentium contemplationi ſubiici. Amor amore conciliatur. Sit procul omne nefas, (ait Ouidius) vt ameris amabilis eſto. Et quod docet Plato in Lyſia: Similitudo morũ, ſtudiorum, ætatis eſt potiſſimũ amoris philtrum, vt etiam actiones & vita honeſtè compoſita, de quibus loquens Lucretius in quarto ſcripſit:

Philtrorum opinionem & famam Mercurialis eleuat.

Nec diuinitus interdum, Venerisque ſagittis,
Deteriore fit vt forma muliercula ametur.
Nam facit ipſa ſuis interdum fœmina factis
Morigerisq; modis, & mundo corporis cultu,
Vt facilè inſueſcat ſecum vir degere vitam.
Quod ſupereſt, conſuetudo concinnat amorem.

Et quanquam ab Ariſtotele 8. de hiſtor. animalium relatum ſit, Hippomanem putatum fuiſſe ad amorem comparandum pertinere, id tamen ex inſani vulgi ſententia,

tentia, non sua protulit. Verba alterius, hoc vel illo modo prolata, scio grauissimos medicos, quòd morbis tollēdis prosint existimasse. Eadem quoque autoritate alios permotos, quod odium tollere, & amorem conciliare queant putasse, verum nugas & superstitiones eas omnes Galenus opinatus est, cum nulla ratione nitantur. Pocula verò aut pharmaca esse, quæ similiter vt morbos, odium auferant, ac amorem perinde atq; sanitatem concilient asserere fortasse possemus, cùm perspectum sit homines hilariores atque ad amandum propensiores euadere quādo calent, esseque medicamina non pauca, & corpus & animum calefacientia. At duo sunt, quæ ipsorum vanitatem & vitium produnt. Vnum quod nequaquam erga hunc magis, quàm erga illum amorem inducere queāt, vt in amatoriis philtris ante alia requiritur, alterum, quòd plærumque pro amore insaniam, atq; etiam mortem inferunt, quando in historiis legitur, multos ex epotis pharmacis amatoriis dementatos atque exstinctos. Veluti Lucretium, Lucullum, & Caligu-

Peſtilens diarria Hippocratica: etiam viſa in Sileſia.

lam, eo quod pocula eiuſcemodi caliditate eximia cerebri temperiem deſtruxerunt. Quod poſtremo loco maximè omnium cupere videris, vt quam putem ægritudinem illam apud vos vagantem, literis explicem; & in iſto tibi morem gerere tentabo. Arbitror te non latere caſum Critonis illius relatum ab Hippocrate 1. Epid. comm. 3. tex. 26. quem memoratu dignum ob interitus celeritatem iudicauit Galenus. Is cùm phlyctænis nigris & alui fluxu correptus fuiſſet præter febrem, & alia ſæua accidentia, tandem ſecunda die occubuit. Galenus verò & magnam in ipſo, & malignam excrementorũ copiã abũdaſſe collegit. τεκμήριον δὲ (ait) τῆς κακοηθείας τοῦ περιττοῦ τὸ παραχρῆμα φλυκτίδια μέλανα γενέσθαι περὶ τὸ σφυρόν. Sic mihi ex ſymptomatibus abs te relatis colligẽdum videtur, nimirum à magna excrementorum peſtiferorum copia gigni, quæ tum proluuie illa alui atra, atq; picea, tum ſudoribus proditur. Quomodo verò ea excrementa in corporibus incolarum cumulentur, tu qui & ipſorum vitæ genus, & aeris plagam nouiſti, melius ſcire potes.

Ad

Ad quam autem febris ſpeciem ſit ægritudo referenda, neq; definire admodum arduum eſt. Quod enim ex peſtilentium genere ſit, neminẽ dubitare opinor. Cum vero neque humores, neque ſolida cordis extreme putreſcere ita cito poſſe conſtet, vt vna die iugulent: magis conſentaneum eſt, in ſpiritibus eam febrim locari, in quibus ſi non putreſcant, quemadmodum igneus calor vna die finitur, pariter iidem extreme putrefacti vna die, atque etiam celerius necem inferunt. Scio dubitatum eſſe an ſpiritus putreſcere queant. Sed anno elapſo in lectione, quam de peſte habuimus, à nobis demonſtratum fuit, & ipſos putreſcere, tam ſuapte natura, cum ſint calidi & humidi ex ſententia Ariſtotelis, quam ex mixtione putridorum μιασμάτων; & peſtiferã febrem facere, quæ ſaltem per ſimilitudinem, ſiue ſubiecti cõmunicationem diaria vocari mereatur. Modũ generationis huiuſcemodi febris hunc arbitror, quod facta in putridis humoribus ſumma prauitate, natura à copia & vitio illius ſtimulata, omni conatu atque per quaslibet vias expellere

satagit, & ipsa expulsione vapores multi atque putridi in cor mittuntur, qui spiritus tanquam sibi magis proportionatos nec non dispositos venenantes atq; corrumpentes subinde calorem natiuum statim exstingunt. Hæc sunt, quæ vt tibi obtemperarem, ad dissoluenda tua illa problemata mihi dicenda statui. Id modo à te vehementer peto, omnia æquo animo suscipias, Mercurialisq; tui nullo tempore obliuisci studeas. Vale, Patauii nonis Ianuar. anno 1571.

WENCESLAO RAPHANO MED. &c. *Hieron. Mercurialis S. D.*

DE philtris amatoriis postquàm adeò acriter rem tueris, ac illustribus testimoniis confirmare eniteris, & fide erga te mea, & tua omnibus spectata probitate rem indignam me facturũ existimaui, si omninò inficiari rursus tentarem. Ea propter supposita historiæ tuæ veritate suspicor; Cuncta huiusmodi pharmaca naturæ humanæ omnino aduersaria esse, hominesq; dementare, & furoribus quibusdam exercere, nòn ob aliud, quàm ob pecu-

peculiarem ac mirificam quandam ipsorum facultatem. Perinde ac de vino scriptum reliquit Aristoteles 30.probl. sect. probl.1.quod animos hominum confundere ac perturbare dicebat propria sua facultate, non autẽ quod calidum sit, quandoquidem piper, vt est maiori, quàm vinum, vt calefaciendi donatum, sic magis statum mentis destruere deberet, cui tamen rei experientia planè refragatur. Vẽtriculũ verò in primis offendi, rationi valdè consentaneum videtur. Quia venena toto genere naturæ inimica, quãprimùm incalescunt, virus proprium diffundere incipiunt. Cumque primò ipsis in corpore stomachus occurrat, in quo morã trahentia calefiunt, non est mirum, si ipsum valde lædant. Maleficiorum ligaturas & solutiones ex phantasia agente proficisci diceret Auicen. qui hominis animum nõ modo in proprium, verùm etiam in aliena corpora vehementer agere vbiq; professus est: sed hæc omnia probabili, non firma & certa demonstratione traduntur. Ex meis lucubrationibus variarum lectionum libri 4, cum Alexandri Tral-

liani Græca & Latina de lumbricis epistola, nuperrimè editi sunt. Tu vale, meque amare, vt ameris, perge. Patauij, 17. Cal. Iunii, Anno 1571.

ADOLPHVS OCCO MED. &c. N. N. S. D.

Elogium rhabarbari.

NON est aliud medicamentum humano copori ita familiare, sicut Rha quod Barbarum vocant, cuius frequens etiam vsus nihil incomodat prorsus, id si mane masticetur pondere vnius scrupuli, deinde deglutiatur, non tantum aluum ipsam molliorem atque obedientem reddit, in iis maxime qui suapte natura astrictæ alui sunt, sed ea etiam masticatione caput expurgat, sensus omnes vegetissimos reddit, ventriculum & reliqua membra si quid aliud mirandum in modum corroborat, citra insignem excalfactionem. Materias tam pituitosas, quam biliosas & adustas à corpore eiicit, neque propterea aliquam noxam ex longo eius vsu corpori affert, sicut reliquæ faciunt medicinæ. Est etenim omni ex parte medicina tutissima & nullius pror-

prorsus nocumenti. Dentes etiam, præter alias vtilitates, ab omni putredine & nigredine conseruat, gingiuas solidas reddit, anhelitum commendat, adeoque diuinum omnino remedium est, & tibi his de causis maximè familiare esse debet. Habeo ex Montano, Hydropicum quendam facie, ventre, pedibus, atq; adeo tota corpore intumuisse, atq; in summo fuisse periculo, ita vt plærique de ipsius salute desperarent, is fato nescio quo monitus, cœpit vti rhabarbaro modicè primum, ex quo subducebatur aluus, & serositas sine molestia, & optimè habere cæpit, is augebat pondus quotidiè, ita vt à drachmis ad vncias deueniret, atq; eas deuoraret, & tandem integras libras, contigit vt euacuarētur humores noxii, corroborarentur membra, & non tantum hydrope liberatus, atque adeo omnibus pro miraculo habitus est, sed membra quoque robustiora exinde facta, calor totius corporis optimus, & functiones seu operationes corporis omnes rediere, vixit sanus & incolumis citra vllā infirmitatem vsque ad primum senium, multas

interim congessit pecunias, quas cum dissetaliquando seruus sicarius, ipsius tæ insidiari cœpit, & eum occidere d creuit, vt tuto pecunias surripere posse ingressus aliquando thalamum, in quo c cumbebat herus, acuto gladio, quem p stalesum vocant, sub vestibus celato, vn ictu caput amputare decreuit, quod & tentauit: sed res parum feliciter successit inflixit quidem lethale vulnus, sed prorsus interimere non potuit, prosiliit enim ex lecto, & quanquam lethale vulnus accepisset, tanto tamen robore præditus erat, vt & sicarium contineret, & clamaret donec opem illi ferrent vicini, & parricidam caperent. Accesserunt tandem chirurgi, qui cum viderent vulnus lethale, cœperunt desperare de ipsius salute, relinquebāt eum prognosticis, putabant fore vt quarto die moreretur: cum accederent circiter diem quartum & vulnus aperirent, (quẽadmodum in talibus vulneribus lethalibus fieri solet à peritis chirurgis, vt ante quartum non detegantur) reperiebant id citra vllam inflammationem purum & bonum. Illud tamen quia

lethale

lethale prorſus erat, putabant eum ſeptimo die, (qui & criticus eſt, & vulneribus magnis periculoſus, ſiquidem ad melius vel deterius tranſmutatio fit) eſſe moriturum. Superuixit tamen ſeptimum diem, indies magis ac magis conualuit, & ad extremũ vulnus ex integro coaluit, magna omnium hominum admiratione, & præter expectationem vixit ad vltimum vſq; ſenium, tandem interrogatus, quo nam pacto tantum corporis robur ſibi conciliaſſet, vt à lethalibus ægritudinibus euaſerit, reſpondit frequenti vſu rhabarbari. Hæc tibi vir humaniſſime, cum te erga mediocria etiam officia gratiſſimum videam communicare volui æquo animo, vt viciſſim aliquod gratitudinis ſpecimen acciperes, & vt tibi hoc medicamentum familiariſſimum eſſe poſſet, ad totius corporis robur conciliandum, & omnes ægritudines arcendas. Iſta nobis clariſſimus Ioannes Baptiſta Montanus cõmunicauit priuatim domi ſuæ, mihi nimirũ & domino Hieronymo Scribæ, piæ memoriæ, cæteris omnib. abſentibus, quæ vt bona ſunt, & nemini ferè cognita, licet

eius vſus ſit apud medicos quotidianus, ita tibi quoque ſoli ſerues rogo. Vale.

PAVLO HESSO MED. &c.
Theodorus Zuingerus S. D.

Quatenus chemiam probet.

MAXIMI facio miniſtram medicinæ chimiam, eandem ſi dominæ ſuæ ſeſe anteponere audeat, flagris etiam dignam cenſeo. Theophraſto experientiæ nomine multum tribuo, quandoquidem multa præclara medicamenta, in neſcio quibus antris Cyclopum deliteſcentia, ſi non à ſe inuenta, ſaltem exculta in lucem protulerit; eundem verò arcem medicinæ deiectis veteribus inuadentem non æquiori animo ſuſtineo, quam tyrannidem affectantem Cylonem Athenienſes. Atque vt illi, tanquam empirico & methodico Medicinæ elegantis imperito, quando dogmata artis totſeculorum conſenſu confirmata conuellere nititur, mentem meliorem dari precor: ita noſtris quoq; hominibus, qui methodi inepto ſtudio noua damnant omnia, & de iis, quæ nunquam manibus ſuis tractarunt, ſeſquipedalibus verbis fanda atque nefanda proferre

ferre audent, sensum accuratiorem opto. Et hæc mea de empiria nova (si modo Chimia nova est) & vetere medicinæ methodo sententia est, ab Hippocratis, coryphæi nostri præceptis neutiquam aliena. Rectè tu verò, qui velut obsignatis tabulis mecum agas, & ex iis quæ ante viginti annos scripseram vel invitum ad damnandum chimiam in universum cogas. Cæterùm & tritum illud nosti: δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι; & delicta juventutis tuæ utinam crebra lacrymarum repetitione dolere possem, si methodum spectẽ, eius loci quam adfers me neutiquam pudet, si remediorum præparationem, etiam dispudet, qui juvenili præcipitantia mihi vix dum à primis labris cognita damnarim. Hæc sunt, quæ non tam mei excusandi, quàm tui confirmandi gratia adferre volui. Vale. Basileæ, 15. April. anno 1581.

PETRO MONAVIO MED. &c.
Theodorus Zwingerus S. D.

DE cometis judicium tuum magni facio. Etsi in hoc genere, ut & in com-

pluribus aliis, non magis Platonica, quàm Christiana ἐποχὴ mihi probatur, in Academia cœlesti aliquando explicanda. Quod de stibio hyalino quæris, ut vehementissimum, sic efficacissimum medicamẽtum esse in utramvis partem ipsa docet experientia; & propterea pharmaci nomine dignissimum, quod recto usu ἄκος, sinistro ἄχος φέρειν soleat. Navem agere ignar9 navis timet: & stibium ægro, non nisi qui didicit propinet. Cùm proclive sit in utrãque partem peccare, & improvido usu infamia Medico, pernicies ægro accedat. Quod ipsum Arragosius de metallicis plærisq; sentit, ut nõ plus gladio Scanderberci quàm dextræ eiusdẽ sit tribuẽdum: adeoq; insaniæ notam mereantur, quotquot vel methodum novorum medicamentorum supellectile exarmant, vel eorundem fortuito successu antiquam artis viam damnant. Vale. Basileæ 10. Iulii anno 1579.

Cautio opus est in usu stibii.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.

Theodorus Zwingerus S. D.

TE vivere & valere opto. Successibus tuis gratulor, Weidnere doctissime. Ego

Ego manipulum unũ corticis ligni Guajaci contusi in libris sex aquæ, coquo ad dimidias pro potu. Ad tertiam unam pro infusione. In pertinace gallico repetito usu opus est, vere & autumno. Vino hactenus usus non sum, etsi bonus ille senex eo in gallico inveterato uteretur. Cæterum usus huius pharmaci sic, ut omnium aliorum, non semper succedit, propter analogiam scilicet disparem, & idiosyncrasiam corporum. Antidotis parum tribuo in hoc genere, quando veneni gradus ignoratur, etsi quo modo antidotus illa ex Guajaco ipsa petenda, quæ nõ tam manifesta, quàm occulta qualitate cõtra morbum pugnat. Sed ut purgationes ipsas maximi facio: sic intermistos sudores ex mercurio præcipitato flavo, vulgo turpetum appellant minerale, dum absq; corrodentibus præparetur, aut certè acrimonia omnis eluatur. Sed de hoc aliàs. Peregre etiam Catholici usus esse potest talis: ℞ xeroxerotati minutiss. pulverisati ℥ 2. salsæ parigliæ ℥ 1. liquiritiæ ℥ ß. ß. ℞ pulveris huius ℥ 1. ß. Macerentur primò, inde bulliant in juris pulli, vel aquæ communis

Zvingeri cura in Gallica lue.

mensura una ad medietatem. Servetur, postea ♃ foliorum senæ ℥ ii. melissæ, rosarum pallidarum, cinnamoni ana ʒ ii. sacchari ℥ ß. Misc. Exinde curo singulis noctibus in ℥ vj. decocti supradicti frigidi macerari pulveris posterioris ʒ vij. Mane per parvum laneum linteo subtili tectum colo, syrupi rosati momentum addo. Hoc ambari loco addere volui. Miscentur pulveres varii mangonii causa, uti non quidem nasuti dignoscere queant. Hippocrates nũc cessat, quando in theatro totus sum. Tabulas nostras in Aristotelis Rhetorica juvenilium studiorũ nostrorum tyrocinia edere nec licet, nec placet. Dolet mihi multa irrevocabilia emissa, at non dolet, si ansam hæc ipsa aliorum melioribus cogitationibus præbeat. In medicinæ veteris cõstitutione & deductione methodica, si Deus inter tot pestilentis luis funera pro sua clementia vitam dederit, occasione professionis meæ deinceps totus ero. Vale. V.D. & me amare perge. Basileæ 9. Octobr. anno 582. Ignosce festinationi.

Io-

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Theodorus Zwingerus S. D.

ACCEPI tuas, V. D. & ut Homerico more ab ultimis ordiar, quam misisti-sigillatam Amwaldinam neque vidi, neque de ea judicare possum, ne mihi de peregrinis & incognitis judicium sumere videar. Odor spicæ genuinus non est, an propter oleum spicæ admixtum ad candelam ardet? Ex facultatibus certius quid vos ipsi cōjectabitis. Neq; verò ego, quod in epistola tua primum fuit, antidotis derogo, sed non omnes, quæ antidotorum nomine circumferuntur, cuivis morbo venenato, aut veneno quid simile habēti convenire, & ut quam maximè nihil obsit, nihil tamen prodesse, non magis ratione, quàm sensu judice simul judico & censeo. Etsi verò gradus veneni æquè atque antidoti interdum penitus ignoratur, ac nihil prohibet fortuitò antipathiæ naturalis τὸ ὅτι etiã à plebeiis deprehendi, cum τὸ διότι ne summi quidem rerum naturalium scrutatores assequantur. Turpetum minerale Quercetani quale sit ignoro, & quando arcanum illud esse vult, per me *Pauca de turpetudo minerali.*

tale maneat. Eius quo Bodenſtenius utebatur formulam habet, ſi modo legitima eſt, cum S. & oleo vitrioli, colore aureo, ſed quod non per ſudorem tantùm, ſed & per vomitũ & ſeceſſum granorum 3. pondere purgaret. Coralliorũ ſal, cùm priùs per ſe ſoli in clauſo vitro calcinati fuerint, aceto ſtillaticio extrahitur, quod aceto adhuc junctum ruborem egregiè ſervat, eodem rurſus abſtracto albedinem recipit. Eo ſale in corroborando, & ſiſtendis fluxibus præclarè utor. Sunt qui cum nitro priùs calcinent, ſed multiplici ablutione ſalis opus eſt, & nitrum ipſum tincturæ videtur inſidiari. Mutatio verò iſta coloris tum in coralliis, tum in tartari ſale ſuperinfuſo aceto, inde abſtracto, qui fiat, nondum aſſequor. Cæterùm quod Fernelius eroſionem aceti ueretur, ex Galeno ipſo diſcere debuit, multa ejuſcemodi intra corpus tuto propinari, quæ foris corpori admota & rubificant & erodunt, & cruſtas inducunt. An verò acetum crudum acerrimum, quo coqui paſſim utuntur, minoris acrimoniæ erit ſtillaticio? majoris ideò efficaciæ propter craſſitiem ſuam,

Et de ſale Corallii.

Aceti ſtillaticii uſum tuetur contra inſtantiã Fernelii.

suam, qua magis adhæret, & diutius infestare potest. Nolim interim tanti viri judiciũ reprehendere, sed hoc asserere possum, ut quã maximè aceto ista extrahantur vel acerrimo, vel S. oleove vitrioli, at crebris ablutionibus eadem rursus elui, aut saltem ita attemperari, ut in tantula quantitate, qua exhibentur, vix centesima pars sit eius acrimoniæ, quã nos quotidie de manu coqui in pulmentariis & acetariis innoxiè sumimus. Turpeti, ut supramonui, cum oleo & S. vitrioli præparati dulcoratio repetitis fit ablutionibus cum aqua calida, ubi illud mirum accidit, massam mercurialem, quæ alba fuerat, affusa primùm aqua flavam reddi, totiesq; ablui, donec nulla amplius vel salsedinis, vel acoris vestigia supersint tùm demũ aqua frigida ablui & exciccari. Coralli similiter subtilissimè contusi in cucurbitam injiciuntur, per alembicum aquã abstrahitur flava (si dextrè negotium obeas, fortè etiam in veram tincturam, olei rubicundissimi instar, incides, quã mihi semel tantùm videre & excipere contigit) post aucto igne calcinantur ad albe-

Turpeti mineralis dulceratio.

Et corallorũ calcinatio.

dinem, indé affuſo aceto ter deſtillato tepidis cineribus rubedo extrahitur. Al ſtracto rurſum aceto id quod ſubſedit qua dulci multoties abluitur. Et hæc eg ad tuas, mi Weidnere, ſunt hæc talia, qu αὐτοψίαν potiùs, quàm ἀκρόασιν vel ἀνάγνωσ requirāt. Nam paruus interdum error to tum opus interturbare conſueuit. Val V. D. & me amare perge. Baſilea, Ca lend. Maii, anno 1583.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Theodorus Zwingerus S. D.

Vti Zving. præparet ſpiritum vitrioli.

CHALCANTHINVM ſpiritū alii aliter, Operoſiſſima illa, quæ per nouum alembicum repetitis combibitionibus fit. Ego compendioſiore via elicio, vnà cum oleo non (vt vulgo) abſtracto primū phlegmate & abiecto, inde elicito oleo (ſic enim ſpiritus humidi omnes pereunt) ſed à primo liquore vſq; ad extremum omnibus ſimul in eodem receptaculo manentibus & permixtis, poſtmodū rectificando primum phlegmate inerti, ſubinde oleo albo (quod ſpiritum vocant) tandem rubro ſeparatis. Cæterum in turpeti præpara-

paratione non spiritu, sed sale vitrioli opus est, (an fortè tu notam f. pro spiritu accepisti?) sic enim correctior, & multò coloratior erit mercurius. Spiritu exhaustus in præsens, ἀντίδωρον mittere nō potui: mitto tamen vt in re tenui, tantillum in vasculo. Hisce dieb. σὺν θεῷ rursus parabo. Terræ Amwaldinæ semunciam data cōmoditate ad me mitti cupio, indicato precio, si modò earum est virium, quas tu prædicas. Tibi, mi Weidnere, vitam & incolumitatem, quæque à Deo eximiè pendet, felicem in arte successum. Basilea 12. Septemb. anno 1583.

IOHANNI WEIDNERO MED.
Theodorus Zwingerus.

PRo Amwaldina tabella gratias tibi ago. Taneceti aquam absque infusione, ipso decocto crediderim & suaviorem & efficaciorem, nisi fortè ipsa decoctione sal quoq; subtile extrahitur. Camphoram cum spiritu vini generoso solutā quidam in pestilentia maximi faciunt. Salis vitrioli ratio hæc est: Post elicitum oleum subsidentiæ, (quam caput mortuum vo- *Vti præparet sal vitrioli.*

cant) aqua communis calida affunditur, lixivium paratur more consueto. Filtratur. Phlegmate abstracto, in fundo remanet sal. Quod si impurius videatur, iterũ dilutum cum aqua, colatumq́;, excoquitur. Salis oleum alii aliter: Ego sal comune ustulatum urina puerorum octiduana excipio. In calido per dies aliquot foveo. Liquorem omnem per filtrum colo, colaturam excoquo, Sal tetragonum in fundo manet, quod in frigido supra porphyritem in oleosum liquorem abit. Hæc tibi petenti ego ex tyrociniis meis. Nam quod tu de ramo illo aurifero votum addis, agnosco ego tuam erga me benevolentiã, sed ut contrario mihi opus esse voto videatur, ne si tale quid contingat inter homines βίον ἄβιωτον inducere cogar Timonis illius Lucianici more. Vale V.D. Raptim Basileæ, 12. Maii, anno 1584.

Et oleum salis.

Nota.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Theodorus Zwingerus S. D.

ACCEPI xenia tua ἰατρικά, & pro iis gratus sum, quando dabitur etiam futurus. Coralliorum veram tincturam semel

ſemel ego αὐτοσχεδιασὶ elicui, purã, ſanguineam. Sæpè pòſt id tentata, non ſucceſſit amplius. Cæterùm ἀντιβαλλόμενον μηχάνημα, quo utor frequẽter tale eſt: Coralli rubri triti minutiſſimè in vaſe vitreo, ſuperimpoſito alembico calcinantur ad albedinem, ut vaſis fundus cãdeſcat. Calcem hanc aceto deſtillato potenti immitte. Fermentationem ex diſſolutione videbis egregiã. In calido fove diebus octo, quotidie bis agitando. Tingitur colore rubro. Defunde colaturam, repetere infuſionẽ. Tincturas omnes ſimul collectas veſicæ injice. Abſtrahe per alembicum phlegma omne. Liquorem craſſum, qui in fundo remanſit, in vitrum patulum effunde, ſine ut in calido exhalet ſeroſum, videbis formas pulcerrimas, & nova coralliorum rudimenta. Ablue aqua calida ſæpius, & rurſum abſtrahe. Exiccatam materiam ſupra cineres calidos fove per hebdomadas aliquot, & in ſal albiſſimum convertetur, quod in quolibet liquore promptiſſimè ſolvitur. Eadem margaritarum ratio. Plura in præſens propter occupationes non licet, Tibi ego, mi Weidne-

Iterum de tinctura coralli.

nere, vitam & incolumitatem ex animo precor, & Rothum, ſicuti ſatis, tibi commendatum eſſe cupio. Baſilea, 25. Iulii, anno 1585.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Theodorus Zwingerus.

ERGO de incolumitate veſtra gallum Æſculapio debemus. Sic Chriſtus ſervat ſuos. Nos iiſdem in præſens febribus peſtilentibus maculoſis affligimur. Arſenici ego nullum periculum feci. Fecere alii mihi noti; ſed incerto eventu. Euphorbiumne verò quis exhibere audeat, qui ſtibium multò mitius ſubſannare audet? Vſque adeò noſtra nobis placent, aliena ſordent. Pilulam de arſenico multò mitiorem crediderim. Sed ἡ πεῖρα omniũ inſtar. Theriacam, electuarium ovi, Antidotum præſertim Matthioli, additis granis XV. vel XX. olei ſulphuris, reliquis præfero, cuius ipſius ſemunciam cum ſuperpendio à Gallo emtam duobus ſolaribus ſive baziis noſtratibus LIIII. pixidi incluſam tibi mitto. Calorem nativum efficaciter roborat, patenter ſudorem movet.

Quæ laudes in peste.

vet. Vale V.D. Basilea IX. Iunii, anno 1586.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Theodorus Zwingerus S. D.

ACCEPI tuas, Weidnere doctissime, cum duobus aureis, qui æquivalent gallicis, quos Gallo Chymnistæ dedi. Aurum ille πότιμον nec parat, nec vendit, etsi parandi rationes varias novit, sed ut ait sophisticas omnes. Quam misisti formulam Beatianam, à Monavio jam pridem acceperam. Eam certè neq; ausim, neque velim tentare, ne opera & oleum labore longo periret, neque crediderim hoc præstari posse, nisi occulata fide edocerer. Multa in huiuscemodi arcanis σοφίσματα venduntur, multa quin etiam ἀτυχήματα & ἁμαρτήματα contingere possunt. Ego generoso spiritu vini ex vino extracto, gallochi optimi succo prægnante in restaurandis viribus feliciter utor. Oleum sulfuris sudores prolicit, eoque nomine gallicis quoque cum decocto ligni vel salsæ propinatur efficaciter, sic dolis decocti mole parcior viribus maior est. In-

Qua de formulis quibusdam auri potulenti.

Olei sulphuris dotes.

aſthmate certè cum aqua iridis, helenii, ſcabioſæ & ſimilibus ad grana ſex mane utiliter ſumitur, aut certè cum iuſculo, itidem veſperi tribus antè cibum horis. Materiam namque incidit, digerit, & catarrhum defluentem quoque ſiſtit. Cum vino etiam propinare ſoleo, admixto ſaccharo, in ſtomacho languente; in obſtructionibus in doloribus inteſtinorum à flatu excitatis. Spiritu auri generoſo extrahe cedoariæ ſuccum pro more, vehiculo ad medietatē abſtracto, ſucci huius ℈ i. cum ℥ 2. julepi roſati limpidi miſc. pro paralyticorum uſu. Decem guttæ efficaciores, quàm multa alia antidota. Eodem Iulepo prophylactici loco apud ægros utor, vaſculo exili, quod enchiridi loco eſſe poſſit incluſo, cum ſiphone parvo. Sed avocor. Tu vale V. cl. Baſilea 29. Novemb. anno 1586.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

CLARISSIME domine Doctor, reſpondeo tibi per eundem qui mihi hodie mane tuas ſub prandii tempus exhibuit,

hibuit, ſed & alias ante paucos dies ad te miſi, uſus opera affinis tui, qui hic conditionem quærebat, eas autem & ipſas te interea accepiſſe confido. De methodo noſtri Bucephali libenter judicium tuum cognoſcam, poſtquam eam, ut te promiſiſſe meminiſti, evolveris. Nolim me amplius quid de illa prædicaſſe, quàm tu reapſe experiare. Rectè profectò pronuncias: fallax eſſe omne experimentum, rationem autem ducem certiorem. Plærumque enim, qui hac relicta, undiq; illa captant, & corradunt, tandem ſpe ſua fruſtrantur, etiamſi aliquandiu illis ſatis feliciter uſi videantur. Quod ſi enim caſus aliquis incidat minus frequens, perturbatiorve, cuius ſimilis ante illis non facilè occurrerit, ibi verè boni iſti experimentatores magis muti ſunt quàm piſcis, & quò ſe vertant planè neſciunt. At neq; in talibus ars deſerit, qui eius præſcriptum ſequuntur, ſed ex ſymptomatibus cauſas inveſtigare jubet, ex quibus omnis recta dein & legitima petitur curatio. Quantum igitur Catholicon illud, quod in myſteriis habes, attinet, nolo tibi in poſterũ

cius postulatione molestus esse. Sive enim mittas, sive non mittas, susque deque feram, etsi quidem scire cupiam, an idem esset cum eo, quod mecum quoque secreto communicavit Theodorus ille noster. Gratulor verò tibi ex animo, quòd scribis, te conditionem non incommodam nactum; ac simul Deum precor, ut conatibus tuis ita benedicat, ut multis sint salutares & utiles, quod idem de se quoq; tibi nũciari voluit D. Iohannes Hermannus, vir optimus & integerrimus, cuius hactenus convictu usus sum. Mea pristino sunt loco, planeque confido paulò post meliora fore. Sed satis de his in præsentia. Te b. & f. valere exopto. Vratislaviæ Elysiorum 17. April. anno 1579.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

CLARISSIME domine Doctor, amice plurimum colende, malim te res quàm verba, ad purgandũ, excusãdumve parare. Quod si enim in posterũ assiduitate scribendi compensabis id, quod hactenus neglectum est, facilè veniam tardi-

tatis

tatis huius apud me impetrabis: ſin minus, valde verendum eſt, ne hęc ira, quam nunc tacite in medullis foveo, in nervum erumpat denique. Hanc igitur ut caute devites, tute videris. Methodum tibi placuiſſe lætor, planeque gaudeo meas cogitationes cum tuis hac quoq; in parte congruere. Puto te initio propter phraſim ſemibarbaram, ac alicubi etiam nonnihil ſolœcizātem offenſum, ſed rei, quam tractat, bonitas facile hanc moleſtiam removit. Interim tamen tu magno me cōmodo privaſti, quod tanto tempore à lectione & inſpectione huius libri me abſtinere coegiſti. Hanc igitur mulctam ubi abs te exigam, opportunitas erit. Pro ratione conficiendi olei gratias ago. Captabo illius experiundi occaſionem ſolicite. Etiam Zwingerus cum Baſilea diſcederem mihi de eo nonnihil communicabat, verum alio impenſum eſt univerſum, ut nōdum ſcire potuerim, quem effectum habuerit adminiſtratum in cæcis, ut appellāt, hæmorrhoidibus. Hippocratē Theodori illius noſtri te vidiſſe opinor. Donavit me ipſe autor exemplo, quod diligen-

ter evolvere cœpi. Scribebam tamen nuper ad ipsum, nõ tam sedatam, quam irritatam duntaxat esse famem meam editione huius operis, cum quę adhuc restant, simili industria & felicitate publicanda impense desiderem. Fac, quæso intelligam, quid tu de ea re judices. Pro mysterio tuo μυστικῶς communicato, en aliud accipe ex Zwingeri authographo bona fide descriptum, sed non sine auctario, ut Hesiodeum præceptum sequar. Ita autem

Catholicon purgans Zuvingeri.

habet illius; Catholicon: ℞ salsæ pariglię ℥ ij. cortic. Guajaci mundatorum ℥j. Rad. chinæ ℥j. Infunde per noctem in s.q. aquæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ; in jure alectorio, si debilitas adsit, in vino albo si gallicus inveteratus decoq. ad dimidias, tertiasve s. a. Refrigerari permittito. Sumito decocti ℥ v. in iis infunde per noctem Euxiseos Ruffi ʒß. fol. senæ ℥ ß. vel circiter, Eccriseos scammon. gr. ß. Mane coletur per linteum. Adde collaturæ syrupi rosati solutivi ℥ ß. Diasereos ℥ ß. Aq. melissæ vel cinnamomi, vel juniperi ℥ ß. vel circiter, ivæ ℥ ß. f. potus. Innoxie purgat in omni genere morborum, nec vel per dies quadraginta

aut

aut plures defatigat, nec alvum adſtrictiorem reddit. Catarrhis unice convenit, arthritidis item προφυλάξει. Gallico itidem mane purgãs, veſperi ſimplex decoctum. quod ſyrupo roſato ſimplici, vel quovis alio ad rem faciẽte diluatur. Pharmacum τῷ ὄντι οἰκονομικὸν, quod nõ niſi manu Medici parari debet, & pauperum uſui imprimis cõſecrari. Sequitur aliud ἐκ τοῦ προσδό-ματος. Pyrapyrum: ♃ Albi nihil paſſi pugillos ij. rupri pugillum j. nigri unctuoſi q. ſ. Miſc. ſimul omnia. Globulos formato. Eos orbiculatim perforato corio ſuperligato, locis opportunis innoxie adhibeto. Hactenꝰ ὁ Ἀναγκάστης. Vbi igitur quid tuum ſecreti habeat diſerto ſermone expoſueris, idem viciſſim de his à me exſpectabis. Ego interim rerum ignarus, imagine gaudebo, ut ille de ſuo heroe ait. Cave autem literam ſequare, donec illius expoſitionem caloliſticam cognoveris. Litera enim occidit: Senſus autem valetudinem deploratam reſtituit. Scammoneæ præparationem Platherianam paulo pluribus verbis expoſitam, proximis ſuperioribus diebus inter chartas meas repe-

Ejusdem καυστικόν.

ri. Gratum tamen accidit, quod tua quoque ſententia approbata eſt. Scio illam magni feciſſe Platherum, ac ſæpiſſime etiam uſum, ut referebat, felici cum ſucceſſu. *De quodam loco Fernelii.* Nunc ad difficultatem tuam diluendam, quam propoſuiſti, accedo. Fateor mihi quoq; primum legenti eam ſcrupulum moviſſe, ſed tamen poſtea viſus ſum illius ſententiam aſſecutus, cuius quidem ſummam tali tabella incluſi:

- in parte ſimilari triplex continetur ſubſtantia; nempe
  - Solida. A.
  - Humida, eaque aut
    - Aquea, & Elementaris. B.
    - Oleaginoſa & ſeminalis, C.
    - Carnoſa, & ſanguinea, quæ rurſum eſt, vel
      - Muſculoſa, carnoſa dicta in ſpecie, 1.
      - Parenchymatica, 2.
      - Membranoſa, ſeu nervea, 3.
      - } D.
  - Spirituoſa E.

Hæc tabella ad utrumque Fernelii locum cum in phyſiologia, tum in pathologia rectè intelligendum facit, niſi quod in altero generalius & ex profeſſo de hoc negotio agit, in altero ſpecialius & magis reſtricte, prout nimirum tractationis materia & methodus utrobique tulit. A. Subſtantiam ſolidam, eam vocat, quæ reliquis ful-

fulcri & basis loco substernitur, partisque delineationẽ, & ut ita dicam σκιαγραφίαν totam complectitur & absolvit. Constat autem ex seminis parte crassiore, magisq; terrestri, ita tamen ut in aliis magis solida reperiatur, veluti in ossibus, cartilaginibus, ligamentis, in aliis minus compacta & densa, quemadmodum in nervis, venis, arteriis, musculis & similibus. In hac solida substantia immediate sedem suam obtinent tum aquea humiditas (B,) quæ penitus terreis crassamenti partibus immersa & commixta, ceu viscum quoddam atque gluten illas invicem copulat, & firmiter cohærere facit, tum humidum primogenium atque radicale vocatum (C,) quod nihil aliud esse videtur, quam subtilior, tenuior, adeoque aerea seminis pars, caloris nativi proprium domiciliũ, & quodammodo pabulum: tum deniq; spirituosa substantia (E,) hoc est tenuissima, subtilissima, ac pæne ætherea natura, igni seu flammæ potius respondens, quæ formæ vicem ob id non immerito gerit, & præcipuarum actionum opifex est & administratrix. Carnosæ substantiæ (D,)

quæ ab ipſo ſanguine ortum ducit, cavitatesque & ſpacia inter villorum ductus primũ relicta explet, magna eſt varietas. Quædam enim peculiariter & in ſpecie caro (1) dicitur, qualis pulpa eſt muſculorum, quædam coagulati ſanguinis forma (2) viſcerum præcipuorum ex ædificationem abſolvit, utpote jecinoris, cordis, renum, pulmonum, &c. & ideo Græcis παρέγχυμα h.e. affuſio appellatur: quædam etiam (3) fibrarum ceu filorum textura, & multiplici complicatione conſtat. Eiusmodi ſunt ventriculus, uterus, veſica, inteſtina, item venæ, arteriæ, nervi &c. Fortaſſe præter hæc & alia carnis in genere ſic nuncupatæ genera conſtitui poterunt; ſi oſſa attentius conſideremus, ſi cartilagines, ſi medullas; quæ & ipſa in ſimilarium partium cenſu veniunt. Sed Ferneliana interpretari propoſitum eſt in præſentia. Cur vero in pathologia non perſecutus ſit omnes differentias, & eodem modo, cauſſa eſt, ſcopi diverſitas. Etenim ſuperius abſolute de his diſputavit, & per ſe: nunc vero eatenus duntaxat, quatenus hecticæ febris ſpeciebus declarandis ſufficiunt,

ficiunt, ea attingere voluit. Vnde ſolidam ſubſtantiam ſubdividere minime neceſſe habuit, neq; etiã in tribus illis hecticæ gradibus aquæ humiditatis amplius meminit quod fieri nequeat, ut tantus calor in corpore vivente vigeat, qui aut hanc, aut illam abſumere poſſit. Dixit vero etiam ſupra 4 phyſiologiæ 3. Humorem alimẽtarium ſeu ſanguineum (qui hic carnoſæ ſubſtantiæ nomine venit) & oleaginoſum ſeu primigenium viventium, & eorũ quæ aluntur eſſe proprios: Aqueum autem & elementarem omnibus prorſus miſtis cõpetere, ad quæ in his reſpicitur. Hæc igitur ſunt, quæ pro Fernelio cum ab inconſtantia, tum à contradictione vindicando adducere placuit: in quibus an ſcopũ attigerim; tuum nimirum eſt judicare. Si quid præterea deſiderabis; ut pro viribus tibi ſatisfacere queam, enixe operam dabo. Bene & feliciter vale. Vratiſlaviæ Elyſiorum, poſtridie eius diei, quo tuas accepi, hoc eſt, 19. Iulii, ut inde diligentiam meam in reſcribendo animadvertas; ac tibi ad imitandum proponas. ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Iterum vale.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

RESPONDIT tandem; rubitq; silentia voce. Cur enim non versum hunc pro mei excusatione præmittam? verum postquam nunc delictum utriusque partis (quod certis quibusdam in casibus Iureconsulti concedunt) mutua compensatione sublatum est, id lege deinceps inter nos cautum esto: ne responsum ultra mensem summum differatur. Qui contra faxit, violati sacro sancti amicitiæ juris reus habetor. Pœna aut mulcta, pro facti qualitate irroganda, arbitraria esto. Ego sane ne quid contra hanc legem in posterum peccem, diligenter operam dabo, & occasionibus abs te monstratis utar. Tu vicissim, si quid ad me voles, fratri meo Iacobo Vratislaviæ degendi reddendum curabis, cuius opera, quocunque tandem loco aula futura est, recte accipiam. Neminem tamen scio cui rectius quam Bucholzero nostro tuas mittere possis. Pauci enim dies abeunt, quin ille ad fratrem meum scribat, & occasiones ob id exploratas habeat. Nunc ad rem ipsam. Buçephalum

phalum noſtrum in bonis rebus tradendis non meliori genere orationis uti doleo. Cum eum nuper ad methodi ſuæ editionem cohortatus fuiſſem, hiſce verbis mihi inter cætera reſpondit. Publicabo methodum curativam, & quamvis alii ſint laborem hunc aggreſſuri, nõ me propterea debita gloria ſpoliabunt, quoniam multa in ea mea methodo ſunt, quæ inpræſentiarum tanquam falſa rejicio. Vnde ſcio, quod eos fortaſſe pœnitebit laborem hunc eſſe aggreſſos. Hactenus ille. Puto autem ipſum poſtremis verbis alios à publicatione ſuorum ſcriptorũ, quamdiu vivit, deterrere voluiſſe. Et ſi quidem etiam præſenti mihi ſæpe dicere memini; ſe multa ad huc in ſuamet methodo deſiderare, quæ ſucceſſu temporis ipſe emendaturus ſit. Lectiones de morbis capitis ſane quam doctiſſimas, cum Vratislaviæ adhuc hærerem, mea manu deſcribere cœpi; ſed non integras abſolvi: eo quod veluti è medio curſu in aulam avocarer. Habet illas D. Laurentius Scholzius Medicus in patria noſtra amicus meus ſummus, à quo facile impetrare poſſes. Con-

firmo tibi pro certo, literas tuas ipsi nõ ingratas futuras, imo satis diligẽs in scribendo esse solet, & tecũ multa huiusmodi nõ invitus cõmunicabit. Item etiam Scholzius lectiones Capovaccii de venenis habet, in quibus tantam diligentiam auctor impendit, ut etiam se palmarium reperisse putaret. Ajebat ad me aliquando: se totos septem annos huic materiæ elaborandæ impendisse. Iam puto tenes, quo loco spudasmata hæc illius habere debeas, cum etiam schediasmata quædam ipsius tua sponte magnifacias. De calidorum & attenuantium usu in arthritide, video nos propemodum convenire. Vterq; enim, dũ materia in motu seu fluxu est, illa improbamus. Sed quæstio inter nos principaliter instituta erat de ligni Guajaci usu: quod ita calidum esse, ut in hoc casu vitari debeat, nego; præsertim, quo modo catholicum nostrum docet, præparatum. Etsi enim ad fluxionem augendam facere alicui videri possit: habet tamen in se vicissim quod retrahat. Itaque penetratio eousque usui est, donec purgantis medicamẽti vis ad articulos etiam pertingat, & in-

&c inde humores alliciat, cum vis purgatrix sudoriferam superet. Quod nisi esset, rationi tuæ facilius acquiescerem. Placet autem hoc loco quædam ex Theodori nostri literis, sub finem mensis Iulii Basileæ exaratis, inserere, quod apprime scopo inservire videantur. Guajaci, inquit, corticum decoctum sitim quoq; restringuere, & quidem potenter, sæpe deprehendi. Eiusdem in calefaciendo non magnam esse vim catholici usus multorum dierum innoxius satis convincit. Ego ℥ j affundo libris vj aquæ, coquo ad medietatem. Inest vis purgandi & aperiendi multo efficacior quam ligno, propter salis copiam. Itaq; quatuor doses habebis. Vinũ senex noster (Aragosium arbitror, innuit) à quo accepit, in inveterato tantũ adhibebat. Dum sudor movetur, vinum non adeo convenire, uti etiam ventum seu potius aerem liberiorem, rationi consentaneum, sed dum purgamus, & vino & victu liberalius uti nihil prohibet. XXX & XL diebus in iis qui bibere possunt, continuis uti nil vetat. Corporis moles attenuatur, vires interim constant. Victus

Iterum de Zuingeri catholico in lue Venerea.

ratio proba libera tamen; à ſole tantum, & vento, & crapula caveant. Hoc ipſo cõmendabile medicamentum, quod eius uſus à ſuſpicione etiam liber eſt. Hucusque Zwingeri verba recitare libuit, quæ tibi non ingrata fore certo ſcio. Illud tamen ex te obiter quæſierim: cur pleraq; ſicca exhibita ſudorem proliciant: Apparet hoc manifeſte in bolo armena, terra ſigillata, coralliis, margaritis, & aliis pulveribus cordialibus dictis. Ratio, niſi fallor, non ita expedita eſt, ut cuivis pateat, quam tamen ex te audire cupio. An pyrapyro noſtro unquã uſus ſis, & quo cum fructu, niſi moleſtum eſt, me certiorem facias. Ego ſemel atque iterum non infeliciter applicui. De caſu à me aliquando propoſito, non male conjectas. Mihi de omnibus diligenter inquirenti, præcipua cauſa ſymptomatis illius viſa fuit hæmorrhoidũ retentio, quas ſibi ante quinquennium fluxiſſe, & poſtea prorſus ſubſtiſſe æger affirmabat. Vnde craſſiore & fæculento ſanguine intra corpus retento, facile obſtructio in meſaraicis, ipſoque epate & liene ſubſequi potuit, quod etiam tumor

Bonum dubium de ſudorificu.

mor foris in hypochŏdriis indicabat. Obstructione in visceribus illis existente, serosum humorem minus exacte separatū, in ventriculum, & inde in os regurgitasse, nō adeo à ratione alienum fuerit. Veram tamē urinam fuisse minime omnium suspicor. Qua enim ratione è vesica in os illa deferretur? Salsedinem igitur urinæ eo delatæ imaginem patienti objecisse, apud me statuo, Medici alii adhibiti, cum ad veræ causæ essentiam, atq; cognitionem non penetrarent: tumori frustra fotus, illitus & emplastra adhibuerunt, quinetiam balneis, & nescio quibus aliis pharmacis ægrum misere satis diu torserunt. A me percuratum affirmare non queo. Præterquam enim quod medicamentorum jam pertæsus, difficulter à nobis præscripta (quæ tamen maxima ex parte diætam concernebant) admitteret: prius etiam, quam cura morbi chronici finiri posset, illhinc discessi, ab eo tempore quid factum sit, nihil amplius cognovi, cupio illi esse quam optime. Vt vomitoriis rarius utar & cautius, eædē me rationes impellunt, quas tu adducis. Olim quidem

pervulgatas fuiſſe, & pæne familiares, in Greciainprimis, & Ægypto, Medicorum libri relicti ſatis ſuperque teſtantur; qui natura ſponte eo non feruntur, iis vix imperare ſoleo. Fortaſſe quæ alvum blande ſubducunt, & abſterſionis vim habent, tantũdem præſtant. Talis eſt aloe noſtra, ſpecies hieræ & alia huiusmodi. Dominus Crato in frequenti uſu habet agaricũ recenter trochiſcatum, & cum oxymelite ſubactum ad ʒ j. vel ℈ iiij. plerunque vomitus ſponte ſubſequitur, quem inhibendum & reprimendum non eſſe monet ſin minus: ne ſic tamen ſpe noſtra omnino fruſtramur. De ſucco abſinthii quæ affers, in iis ne quid diſſimulem, tibi non aſſentior, quin potius ideo ventriculo minus gratum quam folia, comas aut ſemen eſſe arbitror: quod vi abſterſoria & aſtringente, quæ in terreis partibus potiſſimum reſidet, fere deſtituatur. Vnde non poſſum non Rondeletium demirari, qui te aſſerente (non enim ipſe legi) majorem etiam adſtrictionem ſucco, quam reliquis partibus tribuat, quis enim hoc illi credat obſecro? Rei certe natura contradicit; ſecun-

Vomitorium Cratonis.

In ſucco abſinthii reprobat Rondeletium.

cundum cuius ordinem ſemper ſuccus plus aquoſitatis participat; ſicut partes ſolidæ & ſiccæ, utpote folia, radices, ſemina plus (liceat in præſentia ſic loqui) terreſtreitatis, ab hac autem, & non ab illa, omnium Medicorum conſenſu, ſtipticitas & aſtrictio dependet. Sed etiamſi Galeno quoque demus ſuccum longe calidiorem eſſe ipſa herba: nunquid propterea ventriculo plus adverſabitur? Non opinor, quamobrem quæ tuæ argumentationis hac in parte vis ſit, plane non aſſequor. In curatione hæmoptoici, quam recenſes, nihil erroris quod admiſſum ſit, animadverto. Si tanta copia ſanguinis ſimul effluxit, venam aliquam grandiorem per anaſtomoſin apertam, quam ruptam, aut exeſam veriſimilius eſt. Conſtantibus viribus, & corpore plethorico exiſtente, venæ ſectionem potentis revulſionis gratia non improbo. Sed cur potioni ſiſtenti camphoram addis? An non hæc ratione tenuitatis partiũ magis motum adjuvat, quam inhibet? Niſi abs te edocear, cauſam huius rei indagare non queo. Emplaſtica in huiusmodi caſibus valde prodeſſe

Pauca contra hæmoptoen.

ſentio, qualia ſunt bolus, terra lemnia, coralli & alia huius farinæ. Pulverem Iulii Cæſaris Scaligeri, quem Valeſius in exercitationibus Hollerianis adeo commendat, tibi notum eſſe opinor. Cerotũ quoque ſantalinum regioni jecoris applicatũ magnam utilitatem adfert. Sed cur magiſtri partes mihi ſumo? Ad quæſtionem: Num potus à vino, vel cerevifia inchoandus ſit; ex veteris verſiculi ſentẽtia reſpõdeo: Potio finalis ſit ſemper cereviſialis. Et hunc morem ego quoq; ſtudioſe ſervare ſoleo, ut quandocunque licet prandium vel cœnam, & hanc quidem potiſſimum, cereviſiæ potu claudam. Ratio ea eſt, ut halitus ſeu vapores minus confertim à ventriculo ad cerebrum ferantur, & illud turbent. Frigiditate enim cereviſiæ quodam̃odo reprimũtur. Si tamen ſomnum quis conciliare malit, ei ut vinum, & quidem paulo liberalius ultimo loco bibat, plane ſuaſerim. Ita vides, cum ad ſingularia ſeu τὰ ἐν μέρει devenitur, nihil eſſe in arte noſtra perpetuæ veritatis. Ad extremũ illud abs te rogaverim, ut te progreſſu morbi epidemii nuper graſſantis, quem apud

De Catarrho epidemio anni 1580.

apud vos tenuit, me certiorem facias, & si quid aliud peculiare in illius curatione observasti. Item; nunquid verè contagiosum fuisse putes, & unde originem traxerit? Quid febris catarrho illi adjuncta, an ephemera fuit, an synochus imputris, an verò de continuarum genere aliqua? venæ sectio & expurgatio num vestris hominibus utiles fuere? Habeo non pauca, quæ hoc loco referre possem, sed tua audire prius malo. In diaphoreticis summa curationis haud dubiè reposita fuit. Dominus Crato pulvere cornu cervi, bolo armena, terra sigillata cum aqua cardui vel acetosæ, & granis aliquot camphoræ, præcipuè usus fuit. Alii electuariũ quoddam, Diasulfuris vocatum, vehementer profuisse testati sunt: cuius descriptionẽ, artificiosam sane & minimè vulgarem, aliàs tecum communicaturus sum. Nunc bene & feliciter vale, & quam primùm tibi cōmodum visum fuerit, rescribe. Pragæ Bojemorum 28. Octobris, Anno 1580.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

VIx ſatis ex literis tuis colligere queo; num meas, quas menſe adhuc Octobri ad te dedi, acceperis. Frater quidem eas rectè ad te curatas eſſe in proximis ſcribit. Sed facilè fieri poteſt, ut impedimentum aliquod incideret, cuius gratia tardius ad te perlatæ ſunt. Pro gratulatione tua magnas ago gratias, & tibi viciſſim omnia fauſta ac felicia reprecor. Cave autem putes; me alio animo erga te futurum, quam hactenus fui ſemper. Colamus inter nos amicitias non fucatas, non aulicas: ſed philoſophicas, quæ cum firmo fundamento nitantur, ſtabiles ſunt & ipſæ atque firmæ, nec cuivis impetui cedunt. De morbo epidemio in ſuperioribus etiam attigi aliquid, & reſponſum abs te expecto. Placet id quod ex Fernelio afſers de gravedine anheloſa, & ipſe etiam ſtatuo, finitimos hoſce morbos eſſe. Iohannis Wieri obſervationes ad manus nõ habeo. D. Balthaſar Brummerus Medicus phyſicus reipublicæ Hallenſis apud Saxones, peculiarem commentariolum nuper admodum edidit: in quo febris peſtilentialis θεραπείαν potius tradit, quam huius

huius epidemici catarrhi. Stengliana magis arridet, quamvis & ipsa ἐν στάσεις aliquas patiuntur. Nemo mihi facile persuaserit, in malignorũ ἢ τῶν λοιμωδῶν numero habẽdum, qui tam paucos interemit, & plerisque salubris fuit, imo etiam in futurum causas morbificas abstulit, ut non immerito de illata sibi ab eo iniuria Medici conqueri possint. Dominus Crato febrem illam catarrho adiunctã inter πεμφυγώδεας referebat: contra Mercurialem, qui in synochorum imputrium censu illam collocabat. Putredinem vero aliquã, saltem levem affuisse, ex contagionis nota mihi firmiter persuadeo. Refert similem morbum Rondeletius noster in libello de cognoscendis morbis, & Iulius Palmarius in præstantissimo illo volumine de morbis contagiosis. In cura tibi plane accedo. Parum enim felici successu potentia illa præsidia venæ sectio nempe, & expurgatio adhibita sunt, Bezoartica plurimum profuerunt. Ad capovaccium, cuius tu præclaram, ut, meretur, mentionem facis, superioribus diebus scripsi: & dubia quædam exposui, ad quæ, ut hactenus fa-

cere solitus est, eum benignè responsurũ confido. Velim me in eo, quod petis, tibi gratificari posse. At profecto ipse pleraq; illius adhuc desidero: & doleo mihi tantum otii non superesse, ut ipse ea describere mea manu possim: ægrè enim in talibus librarii opera utor. Indicavi tamen in proximis meis occasionem, qua hac in parte uti non incommodè posses. Promisit aliquando Capovaccius, se simili methodo etiam artem ὑγιεινὴν sive de tuenda sanitate complexurum, id quod ab eo petere, & cunctantem urgere non desino, quicquid alii de huius viri laboribus judicent; ego illos minimè vulgares; sed ex intima potius philosophiæ & medicinæ medulla depromptos esse puto. Gratæ mihi fuerunt binæ descriptiones, quas epistolæ tuæ inserere dignatus es. Priorem, quæ Hælideum autorem habet, in meis adversariis consignatam reperi: alteram Platherianam non item. Dabo operam, mi charissime Weidnere, ut par pari referam; & quidem quam primùm. Disputationem Erasti de putredine nondum integrè perlegi. Quæ tamen hactenus in

illa

illa observavi, de iis coràm tecum agere mallem, quàm per literas. Interim hoc tãtùm abs te quæro: An illud etiã pomorum vitium (ita enim sanè appellem) pro putredine habeas, *Wann sie beginnen teig zu werden.* Verbũ Latinũ, quo hanc rem proprie exprimas, abs scire cupio. Nisi fallor apud Plinium alicubi exstat. Si dices initium putredinis esse; tum necessariò quamvis putredinem præcedet. Sed res non ita habet. Et præterea non corruptio quædam videtur esse (qualis omnis putredo est) sed potius maturatio seu perfectio. Etenim fructus serotini & pyra duriora hac ratione suaviorem saporem adipiscuntur, & maturiora esse judicantur. Verùm de his te cogitationem uberiorem suscipere malo. Cynoglossum, cur à nobis petas, miror. Credo quemvis hortum tibi suppeditare posse, loquor autem de illo quod humi sternitur, & cum Dioscoridis descriptione convenit: non de altero quod caulem cubitalem aut altiorem etiam addit. Si tamen omninò ad eum casum expetis, in quo Aubertus conferre asseverat: Moibani interim antido-

tum eius loco uſurpare potes. Sed non poſſum plura in præſentia. Vbi tuas viciſſim accepero; in me ſcribēdi diligentiam non deſideraturus es. Bene & feliciter vale. Pragæ Bojemorum 22. Decembr. anno 80. exeunte.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

MIROR te nullas cum iſthoc γραμματοφόρῳ ad me dediſſe literas hac ſola contentum excuſatione, quod ubinam loci nunc agerem, neſcires. Quaſi vero probabile ſit te neſcire: in iis me eſſe oportere, quæ ſunt patris mei, hoc eſt, quæ muneris & officii mei ratio expoſtulat. Si quidem enim aulæ me Cæſareæ (quamvis indignum) Medicum eſſe noſti, qui ab illa me longius abeſſe tibi in mentem venire potuit, aut etiam debuit? Vides igitur mi Weidnere, quam inane ſit hoc & nullius momenti κρησφύγετον quod tibi ὡς πολιτικὸν σχῆμά τι aſſumere, & ſilentio minime neceſſario prætexere placuit. Ideoq; nō magis tibi allaborandum, ut admiſſum erratum corrigas, & quibus potes modis contractam

tractam neglige̅tiæ maculam eluas, quod non alia via aſſequere promptius aut facilius, quam ſi id, quod nunc prætermiſſum eſt, in proximis tuis ſcriptionis prolixitate abunde compenſes. Ego quidem non illas ſolum, ſed forte etiam alias plures hoc in loco abs te exſpectabo: ex quo quando digreſſuri ſimus, nondum ſatis conſtat. Negotiorum certe, quæ quotidie offeruntur & moles & varietas tam cito ſeſe expediri non patientur. Poſonio Pannoniorum (ubi ſeſquimenſem integrum conventus duravit) cum Vienam rediremus, paucis poſt diebus in arthritidem, quæ omnes pœne corporis artus pervagata eſt, incidi. Factus ſum enim ex iſchiadico gonagricus, inde podagricus, demum etiam chiragricus, quin & colli partes malum hoc infeſtare non prætermiſit. Præcipuam morbi cauſam hæmorrhoidum, quæ ſecundum naturam ſingulis ferme menſibus mihi antea fluere ſolebant, ſuppreſſionem fuiſſe ſtatuo. Ea enim ratione materia collecta, cum juxta conſuetudinem non vacuaretur, vicinas partes occupavit. Acceſſit ſtimuli loco

unum Vngaricum forte & habituoſum: quod me liberalius inter Pannones hauſiſſe (ita enim in aulis plærumque & vivitur & bibitur) non diffiteor. Cum me ſatis diu morbus ille, ſtultitiæ meæ pœnas perſolvens, afflixiſſet, quadrageſimo demum die (qui tunc primus Maii erat) ex Hippocratis vaticinio domo prodire cœpi. Velim hic ſcire: quod tu cõſilii ad provocãdum denuo hæmorrhoidas præſcribas? Debilibus mediis, quales ſunt hiera ſ. aloe non lota, frictiones ani cum aſperis pannis, & ſimilia, fruſtra hactenus ſum uſus: à fortioribus etiam conſulto abſtineo, quod metuam ne vehementius irritatæ hæmorrhoides illæ poſtmodum ægre & magno cum periculo ſiſti queant, quando ſponte quoque ſua fluentes antea, fere ſemper modum in effundendo ſanguinem exceſſerunt, meque ſæpe decolorem reddiderunt. Sed & illud abs te lubens quæſierim. Num morbum hunc in poſterum per intervalla rediturũ cenſeas, nec ne? ego quidem ita mihi perſuaſi: Longe eſſe rationem aliam podagræ, chiragræ aut gonagræ in ſpecie ita dictarum:

rum; ab arthritide, quæ generali nomine ſic nuncupatur, illæ enim periodos ſolemnes ſervare, ac per intervalla ſtata & certa redire ſolent: hanc cum quaſi critica quædam expulſio ſit, & ideo omnes pæne artus tempeſtatis in morem pervolitet, unica invaſione ſeu paroxyſmo finiri exiſtimo, niſi ſcilicet cauſæ externæ tam potentes accedant, ut novum morbum procreandi & ſuſcitandi poteſtatem habeāt. Tibi an idem videatur, ſcire percupio. Gaudebo ſane & in mea opinione magis confirmabor; ſi tu aſſenſeris, nolim tamen te ea propter celare, quæ mihi hac in parte metuenda judices. Vino fortaſſe omni in univerſum interdices, & leges vivendi præſcribes duriſſimas; quas ut in hoc vitæ genere ita ſtricte ſervare poſſim, valde vereor. Audiam tamē nihilominus te libenter, & quantum omnino licet, cōſilio & præceptis tuis obſequar. Imo tibi majorem etiam quam mihi fidem adhibebo quandoquidem ſibi quisque peſſimus ut magiſter, ita etiam Medicus eſt. Superioribus proximis dieb9 Epiſcopum quendam per Dei gratiam ſanitati reſti-

tuimus; qui ex vehementissimo insultu epileptico postea in coma pervigil incidit. Velim totũ medicationis cursum me tibi percensere debere. Paucis interjectis horis cum vires constarent, & corpus impura plethora esset refertissimum; non modo acres clysteres injecimus, sed ex vena secta large fluere sanguinem permisimus; exhibito præterea vel potius in os infuso cathartico, etiam expurgavimus, nec infeliciter consilium illud nostrum, etiam si aliqui sedulo adversarentur, processit, nempe extremis morbis extrema quoq; exquisite remedia opponenda esse præclare censuit Hippocrates noster. Ad Pragenses meas responsum abs te exspecto. Nihil mihi gratius est hoc in loco: quam cum tot præstantibus viris amicitiam inire, qui undique huc advolant. Te quoque inter illos esse valde optarē, quod tamen cōmode fieri non potest; interim æquo feramus animo. Petebas aliquando à me philotrum. Nunc hoc cape: Sume lactis caprini q. s. adde alumen pulverisatum & invicem misce, postea stilla per filtrum. Cum hoc inunge loca, ex quibus pilos

pilos auferri cupis, sudato prius, quam iterum abluas. Tuto huius experientiam facere, & mihi de eventu postmodum significare poteris. Bene & feliciter vale, mi charissime Weidnere, & mei memoriam cum benevolentia cõserva. Augustæ Vindelicorum è comitiis, 17. Iulii, anno 1582.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

ACCIPIO excusationem prætermissionis literarum, quam prætendis; etiamsi non omni ex parte mihi satis faciat. Videris enim subesse culpæ si non latissimæ at saltem latæ, quam, nisi scriptionis frequentia, in posterum expiare nullo pacto potes. Neque tamen interea te plane liberum pronuncio ab eo debito: quod tibi pro iis persolvendum est, quas amissas esse scribis. Forte enim cum occupatior esses, in eas tibi diligentius inquirere non libuit. Noli putare, mea me tam vili pendere: ut ea sic abjici velim, quo minus postea denuo reperiri queant. Vix credas quam magna & pœne intolerabili pœna te affecturus sim: si deperdi-

tas illas meas non denuo in lucem produxeris, & pristinam illis dignitatem restitueris. Sic soleo in eos, qui meo imperio subsunt. Sed tamen amisso quæramus seria ludo. Gratiam habeo quod te de recuperata valetudine mea lætari significas: cùm quidem illi hominum generi, qui cum arthriticis doloribus conflictantur, pæne magis insultari soleat, ac secundum Apostolum afflictio afflictioni addi. Tu tamen, quod hoc facere intermittis, verum te esse amicum ostendis, & συμπάσχειν istis profecto non plane ridiculis doloribus. Expertus affirmo; & ne tu in similes incidas, opto precorque. In provocandis hæmorrhoidibus tuo plane consilio, obsequar. Nō facile mihi persuaderi patiar, ut nimis vehementibus utar. Fere enim maius periculū est insistendis illis, quam provocandis: maxime si secundum naturam, id quod mihi accidit, uberius fluant. Et si vero nondum omnino pristinā consuetudinem servant: repetito tamen usu aloes ante cœnam, sentio nonnihil sese illas rursus explicare, & ad fluēdum comparare, nolo illas acerbius provocare. Cō-

men-

mendat Varignana plurimum oleum irinum, item radicem lilii, quocunque modo imponatur, cuius fortasse, cùm periculum nullum adjunctũ habeat, paulò post periculum faciam. Ad sectiones nunquã volens accedam: cùm illud quoq; exemplum, quod tu comemoras, me deterreat. Quæ postea de repetitis arthritidis invasionibus attexis: ea te aulicum non esse atque adulari atque blandiri non posse, planè arguunt. Eam enim potissimum ob caussam hanc disputationem moveram: ut me, qui vix hoc malum effugi, consolareris; fore, ut nunquã, aut saltem perrarò reverteretur. Tu verò hac cõtroversia neglecta, scapham scaphã dixisti, & mihi novam pœnè solicitudinem injicis, ut magis quàm antea mihi à molestiis illis metuã. Vt Cicero in epistola ad Lucejum, etiam plusculum quàm veritas concedit de se dici postulat: ita ego quoque putabam te opinionem meam cõfirmaturum; etiam si non exquisitissimè cum artis præceptis conveniret, quod quidem ad ægros facere solere Medicos, ut illos in spem erigãt, notum est, adeò etiam ut hoc respectu a-

liquando ad me, tum Patavii decumbentem, diceret Bucephalus: Medici nunquam vera dicunt, fortasse autem tu putasti: Medicum à medico decipi equum non esse, & ab hoc facilius quam ab aliis fraudem deprehendi. Quicquid tamen sit: ne nunc quidem tibi plane assentior, quod ad arthriticas periodos attinet. Cum enim per modum criseos expulsio fiat, vix est vero simile, omnes corporis artus ita debilitari, ut infirmitatis ratione deinceps semper similem fluxionem suscipiant, quemadmodum in podagra fit, aut chiragra: ubi levi occasione invasio repetit; & pene certas periodos servat. An vero arthriticus morbus, hoc est, qui sine discrimine omnes artus corporis perreptat, idem sit cum eo, quem Cardanus vagum appellat, & de quo peculiarē tractatum conscripsit; tu videris. Quod à vino abstinere jubes: rem duram imperas. An vero solius aquæ potu contentum esse præcipis? Nimirum caute & prudētet vocem ἐπισταμένως quæ etiam apud Theognidem exstat, adjicis. Sed nō licet nobis aulicis sæpe ita vivere, ut volumus: quan-

do ad aliorum arbitriũ nos cõparai e necesse est. Tecum, qui tuo more domesticam rem instituis, bene agitur. A. Basiliẽsibus jamdudum nihil habeo: quod contagionis ratione loca illa male tuta essent. Ad D. Zwingerum & Platherum paulò post scribam. D. Simon Grynæus Medicus diem suum peste exstinctus obiit. Quid de reliquis fiat, aut factum sit, cupide scire desidero. Cur Hippocrates humorem melancholicum aquam, vel ut in Græco textu est, ὕδρωπα appellat, ad Erasti disputationes remittis, quas certe, si ad manum haberẽ, inspicere nõ intermitterem. Sed qui in ista oberratione bonorum librorum copia instructum esse licet? Est nobis aulicis illud in ore, quod Bias, ni fallor, de se dixit: Omnia mea mecũ porto. Partem librorum meorum Pragæ habeo: partem Vratislaviæ in patria; partem eorum etiam hic Viennæ. Illos in unũ cogere ecquando licet? subinde enim aula mutatur; quam me sequi necesse est. Librorũ vero suppellectilem instructã quomodo quis secum circumferat? Quæ tua de hac re sit sententia scire desidero. Post-

Cura paralysis inquam se solvit colica.

ea ad Erastum, velut supremum judicem, si ita libet, provocabimus. De paralysi post colicam non parva est controversia. Non dubito te ea vidisse & legisse, quæ Erastus de illa scribit in quarta parte Paracelsicorum suorum. Sed ut ad rem propius perveniamus; peculiare exemplum tibi propono. Laboravit hoc morbo optimus Esromus noster, qui cum satis feliciter restitutꝰ sit, eius curationis processum ad te transmitto. Vt autem videas me Germana fide tecum agere; ex eius αὐτογράφῳ omnia transscripsi, quæ in schedula injecta vides. Præcessit in eo colicus dolor satis acerbus; postea διὰ τὰ ἐν καταλιμπανόμενα ἐν τῇ νόσῳ in tristẽ istã παρέσεως morbum incidit. Ne autem hoc novum esse putes; legere potes ea quæ apud Hippocratem exstant in 6. epidemior. 4. comment. particula 3. ᾧ τὸ ἔντερον ἐπὶ τὰ δεξιά &c. Item Paulum lib. 3. cap. 18. & 43. Præsentem istam curam quomodo ad Widemanni tui, cui optimè cupio, casum applicare debeas, tute videris. Nostro illi Esromo satis bene successisse scio. Et ascripsit ipse ubique, ut vides, non tantùm reme-

remediorum formulas: verumetiam quibus & cum quo eventu usus sit. Tu quoq; hac simile. Habet præterea dominus Crato in usu oleum quoddã, cuius mirificam vim multis probavit. Illud hunc in modũ conficitur, ♃ Gummi Galbani, Elemi, Hedræ, ol. laurini ana q.s. fiat destillatum, & serventur seorsim primum aqua, deinde oleum clarum, tertio oleum crassum. Hoc emplastrum musculis epigastrii applicat, & reliquias morbi felicissimè discutit. Credo ultra duo millia apud Moravos & Boemos hoc unguento lucratum esse, quod tecum quoque pro amicitia nostra communicare volui. Vniversalia quæ præmittenda, quæque intra corpus exhibenda sint, per te scies melius. Crede mihi alteri non ita promptè communia ista facerem. In albo fluore pilulas de bdellio laudas: cum tamen in sistendis potius hæmorrhoidibus & mensibus, alii, & potissimum Varignana commendent. De roremarino nulla apud me est dubitatio; utpote cuius admirabilem efficaciam ipsa etiam in muliebribus morbis expertus sum. Tuæ tamen constanti as- *Cura alborum mensium.*

severationi fidem habeo. Pro transmisso abs te munere gratias ago maximas. Recte obtulit tabellarius, quæ illi credidisti. Ego verò quid referam? Cùm ad manus aliud nihil sit, mitto ad te exemplum Valesii nostri, quod mea opera emendatum Crato noster nuper foris dedit. Cupio de

Psilothrum. illo intelligere judicium tuum. Pro psilothro, quod inefficax esse dixisti, en tibi aliud: ♃ Lac canis mixtum cum pulvere auri pigmenti in forma emplastri, sive linimenti, admotum depilat immediatè. Si lac canis habere nequeas; substituitur lac esulæ majoris, & applica in balneo ad spacium recitationis trium orationum dominicarum, & 4 salutationum angelicarum, & quando arescit, pili una cum psilothro removentur. Non puto habere minorem vim, quàm unguentum illud Rusma appellatum, quo Turcæ in balneo

Sassafras. ad hăc rem utŭtur. Ligno Sassafras, quod ex Florida sive nova Francia huc importatur, an unquam usus sim nescio. Planè odorem & saporem feniculi refert. In delicatis naturis multo præstantius est tum guajaco, tum salsa. Ventriculo etiam melius

lius convenit. In Polonia creberrimè nunc uſurpatur contra podagram, & alios chronicos morbos. Si quid de eo cupies: lubentiſſimè ad te transmittam, & modum utendi, ſi neſcis, ſignificabo. Bene & feliciter vale, & feſtinatam ſcriptionem boni conſule. 22. Novemb. anno 1582.

CRATONICA.

IN paralyſi inchoata manuum poſt colicam, qualis fuit mea, & hærente jam malo in muſculis ibi etiam ſugillatis, primùm ad expellendam materiam è muſculis per exhalationes & ſudores, utitur ſudorifico, fomentatione, & unguento infrà ſcripto:

Sudorifica:

℞ Syr. de betonica,
de ſucco cardui an ℥ 2. ß.
Theriac. præſtantiſs. ʒ 2. Miſc.

(Hoc uſus ſum ſed parum mihi fuit ἱδρωτικὸν, præfero ſyrupum ſancti Ambroſii.) Sumatur mane unum cochlear, alternis diebus, & contineat ſe æger in lecto, ut ſomno & fomentatione lectuli ſudor promoveatur.

Fomentum.

℞ Salviæ, origani.

Rorismarin. Iuæ arthetic. an. m. 3.
Incidantur, coquantur in aheno, & decoctum cum herbis calentibus infundatur in vasculum ad hãc rem præparatũ, quod tegatur supernè panno quadruplici, & fomentẽtur manus per quartam horæ, mane & vesperi ante cœnam. Formam vasculi non dubito tibi notam esse. A qualis brevioris instar habet, & in lateribus foramina per quæ manus inserantur.

Vnguentum.

℞ Axungiæ gallinaceæ ℥ 2.
Ardeæ,
Taxi, an. ℥ 1.
Lumbricor. terrestr. vino lotorum ℥ i ß.
Coquantur igne lento, & addatur oleum nucis conditæ.
Misc. f. linimentum post fomentationem.

Additur his omnibus & sapo certi generis, quo post fomentationem & unctionem æger manus abluat: qui siccescat sua sponte in manibus, & postea abluatur calida. Huius saponis descriptio sequitur:

℞ Saponis veneti,

Mu

Mucillag. altheæ an. ℥.1.
Sem. Erucæ contuſ. ʒ 2.
Ol. Iuniperi ex granis ℥ ß. Miſc.

Quod ſi ſuperioribus illis nihil proficitur, pro fomento ſuperiori uſurpetur hoc:

℞ Rad. urticæ m. 3.
Cymin. pulv. ℥ 1.
ſalis ʒ 3.
Miſc. & coquantur ut ſupra.

Pro unguento autem ſupraſcripto uſurpetur, tum hoc quod ſequitur:

℞ Ol. antiqui ℔ ß.
Sanguin. porci. ℥ 3.
Caſtorei ʒ 1.
Ceræ parum. Miſc. f. linimentum.

Vtriſque uſus ſum primis & ſecundis, & ſecundis inprimis: quib9 ſenſi tremorem in manibus (nam pedes firmi ſemper fuere) evaneſcere, quod fuit cõfirmati membri certiſſimum argumentum. Sed temporis detrimenta ferre nolui, cùm eſſem tum totus in Pſalmis, &c.

His ſequentibus non fui uſus.

Quòd ſi vero neque proxime ſuprà ſcriptum unguentum ſatis fuerit efficax, ſumatur quod ſequitur.

℞ Concharum nigrarum (hæ conchæ nõ potuerunt reperiri in nostris officinis) urantur in fictili, & colligatur humidit. pinguis ℥ 2.
Axungiæ Ardeæ.
Taxi,
Canis a. ʒ 1.
Sevi hircin.
cervini a. ℥ vj.
Saponis Veneti cum succo cardui & altheæ dissol. q. s.
Misc. lento igne.

Quod si adhuc etiam magis acuenda curatio, adhibeatur ad extremum unguentum sequens:

℞ Pul. lumbricorum terrest. ℥ 2.
Calami aromatic. ʒ vj.
Galangæ ʒ 3.
Mellis despumati q. s.

Coquantur ad spissitudinem & extendantur in duabus alutis, quælibet sit facta ad formam hanc:

Etiam

Etiam ut digitos ultimos implicet.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

ALTERAM tuam epiſtolam cum hoc ipſo tabellario accepi: priusquam ei, quam antehac Seligerus noſter mihi abs te attulit, perſolverem: quod enim tertiæ cuiusdam meminiſti, ad quam nondum reſponderim; ea qualis ſit neſcio. Nolo ſane tarditatem vel lentitatem potius in ſcribendo meam multis excuſare: illud tamen affirmo, me officium hoc neglecturum non fuiſſe: ſi, quod ſperabat, γραμματοφόρος iſte ad nos Viennam rediiſſet, interim dum exſpecto, quoad revertatur, totus delabitur annus. Sed ad rem. A Seligero nō ita pridem literas Patavio habui: quibus adhuc reſponſum debeo. Mitor autem quid tibi in mentem venerit,

mi Weidnere, quod me dubitare ſcribis, arthritide nuper laboraverim, nec ne. Et eo nomine neſcio quam ab ipſa arthritide pœnam mihi infligendam minaris. Immeritò ſanè hoc abs te patior. Neq; enim tam ſum ἀναίσθητος, ut morbi ſatis immitis tormina non ſenſerim: neq; etiam Stoicorũ delirio faveo qui affectus & dolores meras eſſe opiniones, credulis ſuis auditoribus perſuadere conati fuerunt. Imò & ſenſi non magna cum voluptate mea, arthritidis moleſtias graviſſimas, & me ſentire ſcripſi, & ad te atque alios conqueſtus ſum. Sed de hoc capite quæſtio erat: Num athritis etiam per certa intervalla repetere ſoleat, ut chiragra, vel podagra; an vero, veluti critica quadam expulſione ſemel ægrum invaſiſſe ſatis habeat? Vt de hoc dubitarẽ, multæ me cauſæ permoverunt: quæ fortaſſe tibi quoque, etiamſi nullus moneam in mentem veniunt, atque id ipſum expreſsè quidam in theſibus ſuis, de hoc morbo nuper publicatis, affirmat. Bona igitur verba quæſo, & hunc potius ſi libet nodum diſſolve; quàm ut me denuò cum morbo moleſtiſſi-

An Arthritis vaga ſit aque periodica.

ſtiſſimo conflictari jubeas. De dolore vago legere potes, quæ Hieronymus Cardanus in methodo ſuo medendi ſcribit ſect. 4. cap. 5. item in Conſilio quodam de hoc morbo peculiariter ſcripto, quod cōtradicentium Medicorum libris ſub calcem adjunctum eſt. Apparet ex eo ſcripto: ſtatuere illum morbi huius cauſam flatus potiſſimum hinc inde in corpore oberrantes: cùm nihil ſit, quod æquè cito de loco in locum moveri poſſit. Dracunculos Iohannes Wierus in doctiſſimo ſuo commentario de morbis nonnullis incognitis Germanicè edito putat eſſe, quos vulgo *die Mitteſſer* appellant. Morbi genus in Auſtria ſatis familiare. Diſcernit autem ab his alteram illam ægritudinem, *die Varen, oder lauffende Varen*, & utriusque cognitionem atque curationem ſatis docte & accuratè perſequitur. Antidoton etiā proponit τὰ γῆς ἔντερα, & eorum præparationem, quam ex eo haud dubiè hauſit D. Hoffmannus noſter. Ad quæſtionem de loco Hippocratis hæc nuper ad me ſcribebat D. Mercurialis: Cur Hippocrates ſplenem aquæ fontem eſſe di-

Quomodo splen sit aquarum sedes.

xerit in 4. de morbis, diu ipse quoque dubitavi, nec, si autoris sententiam tueri volumus, alia ratio mihi occurrit, quàm si dicamus, aquam Hippocrati eo in loco esse non succum melancholicum & crassum, qui per universum corpus diffusus sæpè conspicitur: sed aquosum & tenuem, qui in liene colligi cõsuevit. Nam certum est eiusmodi viscum sæpenumero ob aquosi succi copiam intumescere, & sanguis qui in anatome conspicitur in splenis anfractibus, jecinoris sanguini comparatus, planè tenuis & aquosus videtur: ut nõ immerito viri quidem eruditissimi, & anatomicæ doctrinæ peritissimi promulgare non erubuerint; minimè verum esse lienem succum melancholicum attrahere. At hæc omnia ingeniorum lascivientium excitamenta sunt. In artis operibus atque in juvanda humana vita si quis strenuè versetur, multò solidiorem laudem eum mereri judico, hactenus ille. Etsi autem quam maximè opinioni illius accedam, quod certum sit cum melancholico humore semper multum seri, vehiculi loco, adjunctum esse: magna tamen

in

in ipsa voce est ἀκυρολογία cum ὕδωρ ὑδερῶπα appellat, quod verò ait nonnullos lieni æquè ac epati αἱματοποίησιν tribuere: in ea hæresi etiam Platerus noster est, ut sæpe ex eo coram audivi, & etiam ex tabulis illius jam publicatis colligere licet. De quibus sane judicium meum exquirere minimè opus est: cùm me in hac palæstra τῶν ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν minus exercitatum agnoscam. Artifices igitur de artibus judicent. Statuo tamen nihilominus: multa eum monstrasse; quæ alii nō observarunt, cùm sciam quàm ille περὶ τὰ ἐν μέρει & industrius & felix, ut nomen eius attestatur, esse soleat. Diligentia certè sola maximam laudem meretur. Si, quæ sit Erasti de paresi post colicam sententia, integrè cognoscere est animus, evolvas longam illius disputationem in quarta & ultima parte antiparacelsicorum illius à pag. 236. usq; ad 258. Meminit quoque affectus huius Ioh. Langus in epistolis suis medicinalibus parte 2. epist. 55. Quibus perlectis, si quod dubium amplius superest, de eo posterius inter nos per literas colloquemur. Fr. Vallesius, quem dudum diem suum

gere quæ de pulvifculi aurei ex mercurii præparatione difertè & eruditè fcribit Anton. Gallus Medicus in libello fuo de Ligno fancto non permifcendo, pa.33. & aliis in locis, inter cætera autem hæc quoque refert, quod non memini me alibi legere cryftalli argenti vivi verum & unicum alexipharmacũ effe, & illius parandi & exhibendi modum adjungit. Potes quoque confiderare quæ in Ioh. Vigonis Chirurgia exftant de pulveris rubei confectione & adminiftratione ejusdem tam intra quàm extra corpus. Item apud Marianum Barolinum difcipulum eius, qui etiam peculiariter de hoc verba facit. Capovaccius, quod miror, eundem mercurium in antiquis gallicis doloribus exhibet: & quomodo fymptomata nonnulla ufum eius ferè confequentia avertenda fint, monet. Quercetani oracula aut ænigmata non intelligo, nec fcrupulofe inquiro, fino mortuos fepelire fuos mortuos. Hæc, quæ fequitur, defcriptio mihi à quodam infigni chymico, & optimo, (ut fic loquar) Galenifta communicata eft: quam germanam effe ftatuo: etiamfi

Turpethum minerale Zvingeri & Bodensteinii. nondum manibus meis paraverim, sed duntaxat ab eo tali methodo paratam possideam. ℞ Mercurii aceto & sale ter quaterve abluti ℥ 2. ol. rubicundi de acetosa minerali ℥ 3. salis eiusdem ℥ 1. ß. Coniuncta in geranio imergantur in arenam, & per diem naturalem coquantur. Materiam infrigidatam candidam eximito, terito, aqua calida affusa recoquito, defundito, abluito tertio vel quarto, super carbones exsiccato, frigida iterum abluito, resiccato. Remanebit Proteus Pactoleę instar scobis. Datur à gr. 5. ad v. cum theriaca, vel aliquo purgante in gallicis doloribus & ulceribus: quibus etiam exterius adhibitum, in emplastris gummatum, certissimè medetur, quod si auri calcinati ℨ 1. adjiciatur; non purgat: sed fit multo magis hidroticũ. Habes integrum processum, & velut αὐτοψίαν huius operationis: etiamsi propter concisam brevitatem quędam obscuriora videantur. Sed manus, ut ille inquit, causa est sapientiæ. Si quas voces studiosè artificio quodã involutas & occultatas non satis assequetis: ego tibi Apollinis instar ero, idque ex eius

eius ore, qui mecum descriptionem communem fecit; alioquin enim chymicis istis operationibus exercendis non valdè assuevi, quod tamen, si qua occasio esset, libenter facere velim. Aula, quam sequi cogor suis migrationibus hoc totum impedit. Aloe rosata nihil aliud est, quàm aloe succo rosarum depurato bis terve infusa, & postea in massam, unde catapotia formantur, redacta. Habet hanc dominus Crato noster in valdè frequenti usu, & hieræ loco usurpatur. Plærũq; semihorula ante cœnã exhibet à ℈i. ad ʒi. Blande & absq; ulla molestia ventriculum & primas vias expurgat. Eventum curationis in nobili illa matrona, cuius casum mihi proponebas, scire desidero. Fortasse enim tu illam sanitati prius restituisti: quàm responsum à me habere potuisti. Symptomata mirifica sunt & satis implicita; nec malignitas aliqua, in visceribus delitescens, abest. In talibus igitur utilissimum est præter ea, quæ manifesta qualitate prosunt, illa quoque admiscere: quæ occulta quadam facultate τὸ κακοηθὲς retundere creduntur. Cardiaca scilicet, & his

ſimilia: quorum materias recenſere ad te non eſt neceſſe. Cum etiam adſtricta alvo ſit: aloes roſ. uſum illi plurimùm conducere arbitrarer, etiam menſium provocandorum gratia. Ritè expurgato corpore, electuarium quoddam conficerem ex talibus, quæ præcipua viſcera reſpiciunt; adderemque præter ſpecies nobilium confectionum etiam theriacæ & mithridatii aliquid. Lignum aut ſarſamnum illi propinaveris, neſcio. Vix enim ſaſſafras apud vos, niſi maximo precio, haberi puto. Etiam hic, eâdem ob cauſſam, exoleſcit. Gratiam habeo pro iis, quæ ex epiſtola Zwingeriana de aceto ſtillaticio ex ſcripſiſti. Et ita verè res habet. Multa ex falſa imaginatione potiùs quàm vero judicio improbamus, quod etiam in ſimilibus aliis non ſemel obſervavi. De chirurgia rectè admones. Doleo certè, me in illa exercenda non plus inſudaſſe: quando eius rei in Italia occaſio offertur ſatis cómoda. Sed quo tempore ibi ego fui; ferè ſemper peſtilens contagium graſſabatur, ut ita minùs tutum eſſet ſine diſcrimine quibusvis manuũ admovere. Præterquã autem

autem quòd Mercurialis noster chirurgum crudelem esse vult, etiam immundum velit nolit eundem esse oporteat, à quorum utroque non parum abhorreo. Nihilominus Medicus Physicus in multis casibus si maximè manum ipse admovere nolit; consilio suo tamen prodesse, & chirurgum in sua operatione dirigere potest. Quod ego aliquoties feci hactenus non malo cum successu, & etiam cum utilitate aliqua. Terrã Anwaldinam nondum videre contigit. Petii nuper à D. Camerario, ut particulã mihi illius transmitteret, non ausim credere tot illam vires habere, quot illi autor in tractatu suo de hac edito tribuit. Multos credulitas magis sanat & superstitio, quàm vera ratio. Strigensi bolo non aliter usus sum, quàm in dysenteriis & aliis alui fluxionibus cohibendis. D. Iac. Theodorus in libello de peste, terræ sigillatæ eam æqui parat. Sed multum adhuc sordidum admixtum habet, quas melius elui utile foret. Si benè aquis idoneis lavaretur, & rursus exiccaretur, crederem plus opis allaturam. Etiam alia nunc circa Glogoviam reperitur,

quæ Strigenſi candidior eſt, & ut ego puto, etiam efficacior. Si nondum habes, aliquid illius ad te mittã proxime. In præſentia cum nihil aliud ſuppetat, cenſuram de operibus Hippocratis ad te mitto: ea lege atq; conditione; ut tuam de hac cenſuram libere atq; aperte ad me perſcribas. Petit à me hoc autor ipſe Dn. Hieron. Mercurialis, dum inter cætera in proximis ſic ſcribit: Ob Hippocratis cenſuram à nemine laudari cupio. Sed in eum finem ſolum edita eſt, ut ingenia excellentia in ea cenſenda ſeſe exerceant; mihique addendi, mutandi ac corrigendi occaſionem præbeant. Itaque quod à te peto illud unum eſt; ut virorum apud vos excellentium judicium explores; & quæcunq; objiciuntur, libere mihi ſignifices. Hæc ille. Te autem mi Weidnere in eorũ numerum, qui Hippocratica diligenter legunt, & de eius ſcriptis judicare norunt, libenter recipio. Expecto igitur quid reſponſurus ſis cupide. Meas cogitationes viciſſim, ſi ita voles, libenter patefaciam. Velim te lectam hanc cenſuram etiã cum D. Laurentio Scholzio, viro optimo, &

inte-

integerrimo, communem facere quando exempla, quæ singulis mitterem, in promptu nō erant. Sed manum de tabula tandem, urget enim, qui modo adstat, tabellarius. Te bene feliciterq; cum tuis valere opto. Pragæ Bojemorum 5. Decemb. anno 1583.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

MIHI quoque tam diuturna ordinarii nostri emansio, ne quid dissimulem, molesta accidit: ac quidem ne inter vias sinistri quid passus esset, subverebar. Sed illius adventus omnes facile suspiciones diluit. De nummis restitutis amo te, lectum est, convenit numerus, & non neglexisse habeo gratiam. Veruntamen non eo sensu quo servolus ille apud Comicum, qui de fide debitoris sui non nihil addubitare videbatur. Ego officium istud recte collocasse lætor: etsi profecto in palæstra hac minime sum exercitatus. αὐτεῤ ῥίφθω ὁ κύβος. Placet omen tuum de arthritide: quam & ipse à me in perpetuum exsulaturum promittis. Iam cer-

tè tertius annus agitur: cùm post primum illum insultum nihil mali ab illa per DEI gratiam perpessus sum. Vtinam etiam in posterum ab illa immunis sim; ita ut nunquam limē meum subintret. Nostris eveniat hostibus illa precor. In præcautione nullo alio remedio hactenus usus sum, quàm ut diligenter operam darem; ne superfluitates in corpore eatenus augerentur, ut novum paroxysmum generare queant. Pulverem Italicum, qui contra podagram tantoperè nunc decantatur, & domini Cratonis de eo judicium; à vicino tuo D. Laurentio Scholzio petere licet. Illi ego hæc submisi omnia: & poterimus de his alio inter nos conferre tempore. Vallesium una tecum vivere & valere exopto, ut multa talia scripta subinde nobis ex divite penu ingenii sui depromat. Proximam editionē operaPlantini etiam apud extremos Iberos accepisse non dubito. Turbith illud, quod minerale vocant, ipse nunquam paravi; sed nec ab alio parato hactenus usus sum. Etsi nequaquam rejicio: tutiora tamē amplecti malo. Et scelus esse judico ad præsidium tam ancep-

anceps accedere: ubi alia in promptu sunt, quæ minus periculi adjunctum habent. Et tamen interdũ in extremis morbis ad extrema huiusmodi remedia confugere necesse est. Descriptionem, quam misi, omnino genuinã esse confido. Mercurium, qui sumitur, vivum esse oportet. Sequenti enim præparatione satis corrigitur. Acetosam mineralem rectè suspicaris esse chalcanthum. Sed oleum illud rubicundum crassius est: nõ autem quem spiritum vitrioli vocant, cæruleum potiùs quàm rubicundum. Geranium, vulgò matracium appellant, in hanc ferè formam confectum vitrum.



Aurum, quemadmodum & alia metalla, calcinari, & in chymicum pulverem redigi potest. Coemissem tibi turpethi mineralis aliquid: si commodè ab idoneo artifice impetrare licuisset. Interim de meo tantum tecum cõmunico, quantum fortasse in præsentia satis est. Triplex

vero huius eſt differentia, primum illud ſub litera A, auri ferme colorem refert, ut vides: quod ſecundum eam deſcriptionem, quam accepiſti, paratum eſt. Alterum ſub B, à Iudæo quodam, præſtanti artifice mihi communicatum eſt. Tertio illo ſub C, frequenter utitur D. Stromerus noſter; quod etiam cæteris præfert. Mihi primum illud magis arridet. Tibi ut unius aut alterius periculum facias, in deploratis præſertim gallicis, liberum permitto. Ante paucas hebdomadas huius exhibitione perſanavit Italum quẽdam D. Stromerus: quem gallica illa lues peſſime defœdaverat: & totum ferme naſum depaſta fuerat. Tum demum ad ligni decoctum acceſſit: quod antehac fruſtra ab aliis Medicis miſero ægro propinatum fuerat. Libelli illius titulus, quem petis, hic eſt, de ligno ſancto nõ permiſcendo, Antonio Gallo Medico autore. Item in imperitos fucatosq; Medicos, eſt autem hic liber oppoſitus alteri cuidã Alfonſi Fero, qui inſcribitur: De ligni ſancti multiplici medicina, &c. Hic excuſus eſt Lugduni in 16. ille Pariſiis apud Sim. Colineum anno

anno 1540. in forma octavi. Pro excerptis ex Anancaſtæ noſtri literis magnas gratias ago. Iam diu nihil ab eo vidi. Cogito tamen ad intermiſſum ſcribendi officium redire Quercetanus quid ſibi velit, multo minus, quam Anancaſtes intelligo. Quod ſi operoſa illa, & non revellanda præparatio diſplicet: eam eligere potes, quæ exſtat apud Aug. Fernerium de morbo gallico lib. 1. in 7. curandi eundem morbum modo, ubi multa notatu digna invenies. Vocat ipſe autor pilulas Mercuriales, & quædam de diverſa exhibendi illas ratione in medium affert. Excuſus eſt hic libellus in eo faſciculo qui inſcribitur: Theſaurus ſanitatis paratu facilis, per Ioh. Liebaultium, &c. Pariſiis in 16. licet etiam conferre cum iis quæ Maſſa Venetus, & Matthiolus, item noſter quoq; Capovaccius de medicamenti huius recta & methodica cum præparatione, tum exhibitione tradunt. Quantum ad caſum illum nobilis matronæ attinet: ſymptomatum quorundam mitigatio aut ablatio, nõ plane morbum illum incurabilem eſſe ſatis oſtendunt. Dolorem capitis &

tibiæ dextræ adhuc remanere significas. Neque tamen scio, an dolor ille capitis continuò affligat: an verò per certa intervalla redeat, & periodicus sit: item an anterior pars, aut posterior, vel etiam circa tempora magis doleat. Etiamsi verò ab initio per consensum aliarum partium, v. g. ventriculi, aut uteri, originem suam habere potuit: postquam tamen tamdiu duravit, eam impressionem fecisse verisimile est: ut nunc caput mutata temperie, per essentiam etiam laboret. Nihilomin9 multum illis remediis crebrò repetitis efficitur: quæ inferiorum partium impuritatem auferunt; unde ad caput pravæ exspirationes subinde attolluntur. Habuit in frequenti usu Fernelius (ut à domino Cratone accepi) pillulas quasdam: quibus tantam vim in detergendo ventriculo & præcordiis offensis tribuit; ut nullam se hemicraniam reperisse affirmaverit, quam non hac ratione curaverit. Descriptio hæc est:

Lenitivi alvi per ἐπίκρασιν formulæ duæ.

℞ Aloes optimæ ℥ ß.
pulv. El. de gemmis,
Diatrion santal.

Ro-

Rosar. rubear. an. ℥. iij.

Redigantur omnia in pulverem, & cum syrupo de absinthio & violar. f. massa mollis. Servetur usui in vesica. Exhibuit alternis diebus, bis vel ter in hebdomade ℈ ij. aut ʒ j. hora una ante cibum. Dominus Crato alias etiam commendat de succino in hanc formam;

℞ Pul. succini, Masticbes an. ʒ ij.
Aloes succo citrin. ʒ v.
Agaric. albiss. ʒ i ß.
Aristolochiæ rotundæ veræ ʒ ß.

Cum syrupo de succo betonicæ q. s. f. massa. Vtatur ʒ i bis in mense, & sumat eas post primum somnum.

In harum pillularum usu persistendum. Nam cum morbus diuturnus sit: ut paulatim & diu curetur oportet. Deinde ad particulares capitis evacuationes per nares, palatum, & fauces accedi posset: quorum formulas ipse nosti melius. Ineunte autumno non prohibuerim venæ sectionem, saltē eventationis gratia, fieri: item purgationem aliquam, præmissa corporis præparatione, universalem. Si qua malignitatis latentis suspicio est: plurimùm

conducunt Electuaria ex ſuccis inſpiſſatis herbarum, quibus deinde pulveres idonei, ac deniq; theriacæ aut mithridatii aliquid additur. Si voles unam atq; alteram deſcriptionem proxime ad te mittam. Tu modo ſignifica: quæ interea mutatio acciderit; & quantum vires ſufferre poſſe exiſtimes. Fonticulum, ut Itali appellant, in inferiori cruris parte cum utilitate aperiri poſſe δηλοῖ ἡ ἴασις quando ſcilicet natura ipſa eo in loco exitum quærit, & non nihil inde levationis acceſſit. Malum autem viciſſim auctum eſt; quam primum materiæ illi exitus præcluſus eſt. Si delicata eſt fœmina: rectius fit operatio illa potentiali, quam actuali cauterio, habes pyrapyrum illud, quo me etiam non infeliciter uſum memini. Et hæc quidem mihi in præſentia de propoſito caſu in mentem veniunt. Riſi cum litem de ſubſtantia & accidente veneni cum Theologica illa controverſia, in qua ſimiliter de eſſentia peccati quæritur, comparas. Volo autem adſcribere ipſa D. Hier. Mercurialis verba; quibus ad illud caput Epiſtolæ meæ nuper ad ſe ſcriptæ, reſpondet.

Acce-

Accedo, inquit, ad id, ut probẽ rationes, quibus uteris ad probandum esse, in prædicamẽto velationis venenum collocandum, adversus meam sententiam nõ tantum habere momenti; quin facile dilui queant. Nam, ut hinc primum exordiar, ea dicuntur ad aliquid ex Aristotele, quorum esse aliorum est; aut aliquid aliquo modo dicitur. Primo modo plane ad aliquid nec alimentum nec venenum dicitur; sed secundo modo: prout scilicet ad aliquid, seu respectu alicuius, nempe hominis dicitur. Verum nec hoc pacto vere ad aliquid sunt. Siquidem major pars venenorum æque alia bruta atque homines interimunt; & multa etiam alimenta sunt non minus belluarum, quam hominis. Sed concedamus esse ad aliquid venenum: quid prohibet unam & eandem rem diversimode acceptam sub diversis prædicamentis collocari? Magnũ & parvum in quantitatis & relationis, morbus & sanitas in qualitatis & relationis prædicamẽtis ponuntur, haud secus etiam forma substantialis in duobus prædicamentis est; cum forma quælibet sit alicuius

Quod venenum non sit ad aliquid.

forma. Quare de veneno quoque dicere possumus, ut refertur ad hominem; esse ad aliquid; ut verò mistum quoddam est ex propria forma, quæ est vis venefica, & subjecto; esse in prædicamento substantiæ, quemadmodum ex materia & forma, neque ipse unquam dicerem totum scorpionem, aut totam viperam esse venenum: sed illius spirituosum corpus vi venefica formatum, quod ictu communicatur. Huius autem corpus salivosum similiter conflatum, & morsu comunicabile. Hactenus ille. Quibus equidem quid vicissim opponam, meamque opinionem defendam; non ignoro. Velim tamen ex te scire; quid de lite ista sentias, præsertim num credas, fieri posse ut unũ & idem diverso respectu, modò sit substantia, modò accidens? De terra Anwaldina pauxillũ quid nuper mecum communicabat dominus Ioach. Camerarius, quæ tamẽ an legitima sit, & cum tua conveniat ignoro. Si igitur quid suppetit, velim mecum partiare; saltem tantillum, ut eius periculum facere, & cum ea particula, quam antè habeo, comparare queam

Ero

Ero vicissim gratus in iis; quæ penes sunt. Spacelum ex gangræna profectum jam bis terve vidi; non magna certè cum voluptate mea. Vtinam planè hoc monstri è hominum natura tollatur. Sed astat tabellarius, qui manum de tabula amovere jubet; & pręterea etiam aliò vocor. Tu quæso hæc quæ festinanti calamo, & animo non satis libero scribo, boni consulas, meque amare pergas. Vale & salve charissime mi Weidnere. Datæ Pragæ Bojemorum die 2. Iulii, anno Christi 1584.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

NON debeo etsi occupatus sum, scribendi ad te officium negligere: cùm te in respondendo tam gnavum esse animadvertam. Et præsertim hunc ordinarium nostrum sine meis dimittere nefas putaverim: cùm nunquam antea id factitare soliti fuerimus. De turpheti mineralis præparatione quid Anancastes noster sentiat, scire pervelim. Augerii quidem Fernerii libellum in tam instructa bibliotheca apud ipsum exstare non du-

bito. Si tamen voles: libenter quæ de eo in medium ille adfert ad te transſcripta mittam. Fieri poteſt ut Anancaſtès ipſe ſua manu arcanum illud elaboraverit; ita non tantum auritum, ſed oculatum etiam teſtem habituri ſumus. Scribebat ad me dominus Crato non ita pridem in hanc ſententiam; Multis annis cum D. Zwingero per literas ſum collocutus. Nunquam de chymicis tam multa ſcripſit, quam nunc. Vt ad illius opinionem accedam, vix perſuadebit: cum Arragoſio, qui ſæpe multis horis de iſtis mecum egit, nunquam potuerim fidem adhibere; & ille ſibi eum magiſtrum eſſe profiteatur. Ars eſt una; quam ſi Hippocrates & Galenus vere nos non docent, & Montanus illuſtrat, eiusque fundamenta ex intima philoſophia monſtrat; à quibus diſcenda ſit, neſcio. Materia medica ingens & numeroſa. In ea principem locum tenere medicamenta ex ſulfure & Mercurio confecta; vix adducor ut credam. Laudanum vero quid eſt aliud, quam Philonium: & quem morbum eo profligabimus absque periculo? Chymicis remediis

mediis propter singularem efficacitatem nihil detraho: Chymiæ vere authorem Theophrastum minime statuo, hæc ille: cum ei occasio à me præbita esset in literis quibusdam: ubi judicium illius de libello quodam chymico quæsierã. Casus nobilis illius matronæ pæne memoria excidit; nec sunt modo ad manũ literæ tuæ quibus illum prolixe exponebas. An cauterium aliquod, quo exit9 materiæ illi aut malignæ, aut malignitati proximæ præbeatur, molitus fueris, nescio. Scis autem Hippocraticum illud. Quos morbos medicamenta non sanant, ferro & igni aggrediendos esse. Magnam tamen spem concipio, dum scribis: usu & frequenti continuatione quorundam lenium medicamentorum multa symptomata remisisse, & morbum nunc mitiorem videri quam antea. Vtinam radicitus tandem evellatur, averrunceturq;. An electuariũ è succis paraveris, quale præscribebam, nihil addis. Ego in morbis longis & pertinacibus, qui ab intemperie quadam occulta dependent, multum præsidiis huiusmodi tribuo. Petis ut purgans aliquod nominẽ;

quod aut nullius ſaporis, aut certè non ingrati ſit, & abominabilis. Inter ſimplicia nullum novi; quod hac in parte radici Mechoacan, præferre poſſem. Iam ſæpè illud exhibui delicatis perſonis; quæ à mentione etiam Rhabarbari, agarici aut aliorum abhorrent. Doſis illius eſt ʒ ß. ad drachmam integram, aut etiam ſcrupulos quatuor. In pulverem redigo, & admixto pauculo gingiberis ſtimuli gratia cum uno atque altero cochleari vini dulcis ſeu Pucini ſeu malvatici propino. Blandè expurgat, & ferè agarici vires æmulatur: niſi quòd ventriculo minus infeſtum eſt, ſi deguſtaveris: fermè nullum odorẽ aut ſaporem percipies. Et tamen in evacuando nõ ſegne eſt. Iuſſi etiam aliquando; ut eadem radix pani, quem vocant, Martio incoqueretur, & ſic ægro ignorãti, non ſine fructu, exhibui. Quò plus candoris habet; eo melior eſt. Credo ad vos etiam deferri. In Galliis frequens eſt uſus illius & Heidelbergæ. Eraſtus p. m. ſibi valdè familiarem reddiderat; quem alii deinceps Medici imitati ſunt. E compoſitis blandè & ſine moleſtia corpus expur-

Purgans non gratum.

Et alia.

purgantibus plurimum tribuo passulis laxativis vulgo dictis; quibus hic in aula nihil est frequentius. Constant autem ex infusione foliorum senæ, in qua passulæ in s.q. macerantur, & deinceps syrupus rosatus solutivus affunditur, interdum etiam Rhabarbari aliquid adjicitur: sed in communi, ne nauseam pariat, omittitur. Laudo etiam cõfectionem anisi laxativi; quæ pro cuiusvis arbitrio parari potest. Denique electuarii cuiusdam lenientis descriptionem subjungo: quæ nuper me authore in officina suæ Majest. &c. parata est:

℞ Fol. senæ purgat. ℥ iiij ß.
Rhabarbar. el. ℥ j ß.

Infunde in vini malvatici ℔ iiij. succi cydonio. depurator. ℔ ij. Mane bulliant s.a. exprimantur fortiter. Expressioni adde pulpæ pomorum redolentium dulcium (qualia sunt Misnensia nostra, Porsdorfiana dicta) arte coctorum ℔ vj. Brodii zinziber. ℔ j. Brodii cydoniorum, aut miuæ ℔ ß. zacchari ℔ iij. coquãtur ad formam Diacydoniati. Ac sub finem decoctionis Adde Mannæ Calabrinæ dissolutæ puræ in vino malvatico ℥ vj. Distribuatur in ca-

psulas. Non tantũ sine molestia, sed etiam cum voluptate assumitur. Totam autem massam hãc in duas partes distribui: & alteri pro singulis unciis grana aliquot diacrydii adjeci; ut in paulo validioribus personis plusculum operaretur. A semuncia usque ad unciam integram tuto exhiberi potest. Et ad exemplum horum plura alia fingere licet: quibus nostri homines, alias à purgantibus natura abhorrentes, fallantur. Pertinent hunc etiam vina medicata, quæ vim purgandi habent; & cibis etiam absque periculo misceri queunt ita nodulos parare soleo ex herbis & seminibus, adjectis Rhabarbaro, foliis senæ, vel etiam agarico pro diversa intentione. Hos in vinum immergi in eoque per noctem macerari jubeo: de quo singulis diebus unum haustum in prandio, loco vini absinthitis, cui nostri assueverunt, assumunt nulla cum molestia, ac suavissime inde alvus subducitur. Vt domini Mercurialis sententiam de veneni substantia rectius assequi possis: authoris illius librum ad te mitto; quem meo nomine gratum habere velis. Gratuito accepi; gratuito dono.

dono. Interim illius loco utor altera editione; quæ Francofurti ad Mœnum superiori anno prodiit. Sed cum nondum à bibliopego receperim: hunc jam compactum librum rectis transmitti posse judicavi. Adhuc contendis, non absurdum esse: ut unum idemque diversa consideratione modo in categoria substantiæ, modo in cæterarum aliqua ponatur; & exemplum caloris innati urges. Sed ego hoc ipsum mihi explicari velim: qua consideratione calorem illum nativum tum substantiam, tum accidens aut qualitatem esse afferas. Si partem aliquam substantiæ corporis nostri (neque enim universum absolvit) esse vis; ubinam repones? Num inter continentia; aut contenta; aut impetum facientia? Hæc enim tria, ut scis, Hippocrates noster recenset: quibus omnia contineri vult? quæ in substantia corporis nostri spectantur, atque ipse τὰ ἴσχοντα, τὰ ἐνισχόμενα, ἢ τὰ ὁρμῶντα appellat. Calorē per se & ex sua natura accidēs esse nemo unquam dubitavit. Et Galenus ipse in explicatione 14. Aphorismi primæ sectionis inter calorem seu caliditatem &

calidum discernit: Illud enim merā qualitatem significare affirmat; per hoc autē denotari substantiam qualitate illa præditam. Ita ego quoq; dixi: calorem, substantiam admodum improprie dici; & nō nisi κατ' ἄλλο: quia scilicet calor iste cum suo subjecto proprio, cui perpetuo inhæret, sumitur; & ita propter aliud, cui junctus est, substantiæ rationē habet, quid autem hæc, in quibus tanta est catachresis, ad artem pertinent? Non cōmunem loquendi seu usum, seu abusum considerari; sed quomodo proprie res quælibet appellari, & in qua classe ex artis præscripto poni mereatur. Dialecticos nunc agimus, quibus unice proprietas cordi est: non Rhetores, quibus longius evagari licet. Medicos porro non eo sensu logicos esse negavi; quo tu accipis: quasi videlicet ἀλόγους omnino esse, aut ratione nulla uti velim. Sed logicas tantum illas disputationes, quas ita etiam Galenus sæpe appellat, ab usu artis tanquam inutiles, vel saltem supervacaneas removendas censui. Cum enim Medici finis sit agere seu operari; certum est circa particularia illum versari debe-

debere; in quibus ſenſus dominatur, non ratio. Neque enim profecto hominem curat: ſed Socratem, aut Platonem. Hi cum in dividua ſint: ſenſu percipiuntur; non ratione. Et ut rectius mentem meam intelligas, dico ratione finis principalis ſeu ultimi Medicos magis eſſe artifices ſenſatos, quam rationales, nempe quia ratio ſenſui inſeruit; non hic illi in Theoricis ſcientiis contra ſenſus rationi ſervit, quia illarum ultimus finis eſt ſpeculatio: quæ à ſenſu originem ducit. Sed in medicina ideo Theoricam partem diſcimus: non ut in ea tanquam ultimo fine acquieſcamus: ſed ut illa actionem ſeu operationem, propter quam omnia traduntur, dirigamus. Ita ratione finis principalis ſeu ultimi una cum Galeno recte aſſerui: Medicum eſſe artificem ſenſatum. Sic tamen ne rationem prorſus excluderem: ſed potius, ut omnino faciendum eſt, neceſſario includerem. Tu tamen hoc velut abſurdum reprehendis. Fortaſſe autem ſi rem recta reputabis via: ad opinionem, non tam meam, quam veritati ipſi conſonam accedes. Cum calidum (rectius

quam calorem) innatū σωματικὴν ȣσίαν appellas : arbitror te magis proprie loquuturum, si πνευματικὴν nuncupes. Siquidem naturalem spiritum & calorem illum seu calidum innatum pro eodem Montanus, & alii plures accipiunt. Sed de his plura in præsentia non licet. Hæc ipsa prout in mentem, vel potius buccam venerunt, effudi; ac tibi ad corrigendum propono. In re ipsa me non multum aberrare confido: in exponendo majorem te elegātiam requirere arbitror. De terra sigillata nostrate quæ scribis, libenter cognovi. Fuit nuper per aliquot septimanas nobiscum autor illius, & mecum multa contulit. Molitur preparationem illius magis artificiosam, & quæ Anwaldinam proxime æmuletur: quam nihil aliud esse judicat; quam extractum terræ sigillatæ certæ & nequaquam simplex aliquod, sed poti9 compositum. Ego quibus in partibus possum illū promoveo. Cogitat hac ipsa in urbe deinceps terram suam parare, tanquam in illustriori loco : unde facilius innotescere, & in alias terras exportari possit. Misimus jam aliquid illius in Italiam : & ex-
peti-

petitur alibi etiam. In tremore manuum post universalia exhibeo ea, quæ caput & nervosas partes roborare credūtur, quale est præcipue Diacorum, & extractum calami: extra autem tremulas manus foveo vino calido, in quo betonica, salvia, majorana, rosmarinus, & similia incocta sunt & penetrationis caussa spiritus vini aliquid affundo. Ita multis tremor paulatim remisit donec prorsus aboleretur. Cætera quæ restant, in aliud tempus reservo: & te una cum tuis bene feliciterq; valere exopto. Pragæ Bojemorum, prid. Kal. Februar. anno 85. *Tremoris cura.*

IOHANNI WEIDNERO MED.
Petrus Monavius S. D.

FERIATUM jam diu est inter nos à literario officio: ut ad ordinarias scribendi operas redire pœne videatur tempestivum. Etsi quidem haud satis memini; quis nostrum negligentiæ huic occasionem præbuerit: quoniam tamen proximis tuis me iterum in aciem provocas: breves hasce & tumultuarias remittere placuit. Pro votis tuis, quibus nuptias &

conjugium meum piiſſime & amiciſſime proſequeris; magnas gratias ago: & tibi ac tuis viciſſim omnia felicia & ſalutaria re precor. Añus ſane jam abiit, & unus inſuper menſis cum dimidio: nec tamen dum genialis lecti fructus apparet, nihilominus ſpem bonam fovere pergo, & me Homerico illo cõſulor: ὄψιμον ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται. Tu fortaſſe hoc in certamine priores abſtuliſti, de quo tibi, ut debeo gratulor, in epidemico morbo magnum uſum percepi ex Diaſcordio Fracaſtorii cum idoneis exhibito aquis. Dominus D. Hermannus, qui nunquam Vratislavia pedem movit, quam diu ibi peſtis regnavit, plurimum defert ſali abſinthiaco cum theriaca permiſto; quod putredini potenter reſiſtat, & naturales facultates aſtrictione ſua roboret, & tamen nihiloſecius inſigniter penetret ſudoresq; cieat. Curavi eodem illo tempore hic parari theriacam, quam Germanorum indigitavi: de illa aliquid transmitto, ut vires eius explores, ſimulque judicium tuum ſignifices. Crede mihi tam valentem atque Andromachi alteram expertus ſum:

Contra peſtem.

im-

immo ei plus fido, cum ex eis constet potissimum quæ in nostro orbe gignuntur; & à qua fraus omnis abest. Drachma hujus tribus crucialibus constat; cum altera sæpe quarta Ioachimici æstimetur. Nigredinem aliqui desiderant: sed mangonium illud facilè accersi potest chalcitide adjecta, aut succo prunellorum sylvestrium inspissato, quod aliis magis arridet, permisto. Plura in præsentia non licet. Differo igitur in occasiones alias. Bene & feliciter vale cum tuis omnibus, quibus felix ineuntis anni novi auspicium ex animo comprecor. Pragæ Bojemorum, pridie nataliciorum Domini, inchoantis annum 1587.

IOHANNI WEIDNERO MED. &c.
Caspar Hoffmannus, D. Electoris Brandenburgici Medicus ord. S. D.

EXIMIE domine Doctor, ad binas litteras tuas jampridem respondissem, sed mihi Deo teste defuit tempus. Ac jam Freistadii ita à mulieribus excruciatus sum, ut præ illarum importunitate, vaticinia ex urinis quærentiũ vix respirare po-

tuerim. Nunc quoq; currum ascensurus & Custrinum profecturus hoc scribo stans pede in uno. De œdemate aliquid jam scribam de reliquis alias. Talem tumorẽ habuit D. Zochius in eodem loco, nempe in genu, magnitudine propemodum caput pueri æquantem. Cum diu à tonsoribus excrutiatus fuisset, ego post purgationes plegma detrahentes ordinavi lotiones ex herbis verbasci, chamomillæ, anethi, iuæ artheticæ, herbæ paralysis, agrimoniæ, verbenæ, abrotano, absinthio, ut sic emollirem humorem, & aliquam eius partem discuterem. Posteà feci cataplasma ex farina fabarum, lupinorũ, radicibus altheæ, pul. lumbricorum terræ, floribus chamomillæ, verbasci, anethi, abrotani, absinthii, ultimo foveri jussi tumorem vino, affusa aqua agrimoniæ. Sic totus tumor evanuit, & discussus est, quod primũ videbatur impossibile. Sed jam plura non vacabat scribere. Bene vale. Datæ Francofurti 6. Septembr. anno 1579.

Cura œdematis in tibia.

LAURENTIO SCHOLZIO MED. &c.

Petrus Monavius Medicus Cæsareus S. D.

NISI

NIsi ex aliis indiciis, quo in te animo essem, hactenus perspexisses: facile de illo ex tam diuturno & inusitato meo silentio dubitandi occasionem arripere posses. Verum ut ne illud facias, abs te amanter peto, charissime mi Laurenti: imo potius tarditatis aut negligentiæ culpam mihi imputes: quam ut de meo in te perpetuo studio, vel minimũ suspiceris. Fuerunt certe non paucæ occupationes, quæ me invitum quoq; abstraxerunt, quo minus tuæ voluntati, & meo desiderio satisfacerem. Sed tamẽ ut ante migrationem ex hoc loco nihil plane ad te scriberem, committendum non putavi. Imperator quidem nudius tertius jam tum hinc movit: quem ego ζὼν θεῷ intra biduum subsequar. Cum domino D. Hieronymo Michaele, hesterno die chartas tuas medicas remisi: pro quarum communicatione tibi magnas gratias ago. Pleraq; descripsi: quæ etiam mihi nõ displicent. Capovaccianas pagellas de cauteriorum administratione diu habere concupivi. Ostendi illas, dum hic esset, Weyselio nostro: qui de quibusdam capitibus suis peculiares

Merito dubitatum an elective purgantia etiam de foris usurpata elective purgent.

cogitationes mihi exposuit. Illud pœne pro derididiculo habuit, quod dicitur: Medicamenta purgantia etiam foris imposita, & unguentis, sive emplastris comista: tamen humorem proprium è corpore attrahere. Etiamsi hoc paradoxon plane videatur: falsum tamen & imaginarium non esse, & de aliorum experientia certus sum. Novi enim præstantem Medicum, qui id mihi hic confirmavit; sese pluries id expertum: quando talia, verbi gratia, elleborum, agaricum, scammonium, colochynthidem, externis quoque medicamentis adhibuit. Nam & sic applicita partem aliquam peccantis humoris extrahere; & ut vulnera atq; tumores facilius percurentur, efficere. D. Hoffmañi consilia libenter legi: atque haud scio an non nimam accurationem præ se ferãt. Multitudo ista medicamẽtorum, etiam optimorum, tamen ægrum perturbat, & sæpe multum confusionis parit. Crato noster magno studio hanc copiam subterfugere videtur. Si Medicus ipse præsens adsit, ac pro variarum circumstantiarum consideratione curationem immutet, longe alia

est

eſt ratio. Abſente illo ne hæc quidē ſuffecerint. Conſilia domini Cratonis quotquot habeo tibi deſcribi curabo, atq; jam tum huius rei initium feci. Dabo operam ne tu pauciora accipias, & potius plura, & tuis non inferiora. Lectiones communis præceptoris noſtri de morbis mulierum apprime videre geſtio: idque propter methodum tractationis inprimis. Vt ipſe iſta deſcribas: abs te petere non auſim. Si tamē hoc oneris ſponte in te ſuſcipere voles: jam tibi ἀντίδωρον paratum eſſe noris. Accepi enim ex intimis ſcriniis domini Cratonis brevem quendam tractatum de morbis mulierum, tum ante partum, tum in partu; tum etiā poſt partum: quem ipſe in gratiam cuiusdam generoſæ fœminæ de ſuis obſervationibus congeſſit. Habes in eo libello, licet brevi, pulcerrima medicamēta ἀπόῤῥητα in omnibus ferme affectionibus, quæ fœmineum genus infeſtant: & non niſi eiusmodi remedia, quæ ipſe pluries hinc inde expertus, & magnam inde laudem & gloriam conſecutus eſt. Deſcripſi ex ipſius autographo: & tibi viciſſim, ea conditione,

Digitized by Google

quam antea posui, mea manu describam. Fortasse etiam alia quædam subsequentur, quæ ex myrethecio Cratoniano accepta nemini hominum hactenus communia feci; si prius, quomodo illa placeant, sensero. *Stillitiacia ex ovis formicarum.* A quam tuam ex ovis formicarũ destillatam cum nuper Hebręo meo chymico ostenderem: dicebat se quoque illam non semel parasse; sed rutilam magis, quam tuam evasisse. Vnde maius ἐμπύρευμα habere collegi. Venit nunc in mentem medicamentum quoddam: quo collega meus Neapolitanus magno cum successu uti solet in suspitione morbi gallici: *Pulvis contra luem Venerꝭ.* aut in iis qui ligni decoctum bibere recusant. Item in gonorrhœa virulenta, & similibus casibus, descriptio hæc est:

℞ Salsæ parigliæ ℥ iij.
Cortic. ligni Guajac. ℥ j.
Cinnamom. opt. ʒ i ß.
Senæ oriental. el. ℥ ß.
Epythimi,
Rad. Ellebori an. ʒ ij.
Sacchari albiss. ℥ iiij.

Misc. fiat pulvis subtilissimus. Et dividatur ʒ i ß. pro dosi. Potest etiam omitti Ellebo-

leborus & Epithym. Idem meus collega feliciſſime utitur in pellendo calculo Radice ononidis, quam vulgo reſtam bovis vocant ſuperiore cortice ablato, (in recentibus cortex relinquitur, & potiſſimas vires habet) internã medullam conquaſſat, ac deinde in taleolos diſſecat, & in idoneo liquore decoctas propinat. Potes tu quoque, ſi libet, periculum facere. Mittebat nuper ad me dominus Camerarius ſpecimen novi herbarii Theodoriani; quod fortaſſe iſthic apud Cratonem vidiſti. Si finis principio reſpondebit: nihil ſimile in hoc genere hactenus editum eſt. Sed manum tandem de tabula. Bene & feliciter vale, mi chariſſime Laurenti, & in poſterum frequentiores à me exſpecta. Pragæ Bojemorum 15. Decemb. an. 1581. *Bonum remed. calculi.*

LAURENTIO SCHOLZIO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

DE nova conditione valde tibi gratulor, amantiſſime mi Laurenti, neque dum rationes conſilii tui perpendo; cur illud improbare debeam, video præſertim cum ea accedant commoda: quæ

tu longa oratione recenses; & ego nequaquam vili pendenda judico. Pro communicatione cõsiliorũ domini Cratonis, tua manu descriptorum, magnas tibi gratias ago: ac omnino conabor ut par pari referam. Habeo enim ego quoque non pauca: sed quæ Viennæ reliqui: & me tibi, cum eo venero, vicissim descripturum promitto, imo pro intima amicitia nostra hoc tibi sancte affirmo, nihil esse quod in mea potestate est, quod non tecum etiam commune esse velim; quandoquidem tu quoque tuorum nihil à me celas aut abscondis. Est profecto aliquid peculiare, ut tu quoque recte judicas, in Cratonis nostri consiliis; quod in aliis similiter nõ apparet. Nam & dexterrime affectuum caussas venatur, & inde indicationes elicit: ac tandem medicamenta succincta ratione proponit. Non delectatur ita operosis cõpositionibus, ut multi; qui aut ignorantiam suam hac ratione patefaciunt, cum sine methodo temere plurima sæpe viribus inter se pugnantia coagmentant; aut certe ostentationis gratia hoc faciũt, tum ut apud imperitos gloriolam aliquam captent

ptent

ptent, tum etiam ut pharmacopœorum lucrum adaugeant. Sed istos sinamus, & meliores magistros nobis ad imitandum proponamus, quos nunquam hoc agitasse certum est. Quod de Cratonianorum medicamentorum, quorum descriptiones ad te miseram, dosi & facultate quæris: scias me non omnibus usum esse; sed plærasque ita ut in officinis reperi describere satis habuisse. Electuario tamen de Macis in corroboratione principum partium, cerebri nempè & cordis utitur; sicuti electuario caryophillato in ventriculi post longos morbos, imbecillitate. Confectionem de styrace, aut pillulas de laudano, in quibus casibus usurpet, ignorare me fateor. Licet tamen facile aliquid colligere: si ingredientium vires & potestates expendas. Diacodii idem est usus, qui & aliorum compositionum, quæ hæc eodem nomine inscribuntur, & in dispensatoriis passim exstant: nempe in tenuibus fluxionib9 ad asperam arteriam, & in pulmones cumprimis, quæ huius exhibitione incrassantur & sistuntur, item ad somnum conciliandum, & in similibus aliis:

De quibusdam medicamentis solennioribus Cratonis.

casibus. Confectione de Rhabarbaro in biliosis corporibus, & epatis obstructione laborantibus uti cõsuevit. Rotulas inde mediocris magnitudinis parare jubet; de quibus singulis matutinis ad aliquot dies duas aut tres devorare jubet. Est valde utile & suave medicamentum in delicatis; & qui fortiores evacuationes ægrè ferunt. Movet unam atq; alteram sedem præter consuetas & naturales : sed sine molestia. Capovaccii nostri lectiones de morbis mulierum tum exspectabo; quando tibi eas describere, & mihi transmittere commodum visum fuerit. Ego tibi interim ἀντιδώρου loco ea quoque mittam, quæ pollicitus : Cratonis nempe nostri quædam in simili argumento; quæ quin tibi grata futura sint nequaquam dubito. Pulveris, quem collegæ meo familiarem esse dixi, descriptionem pro intentione occurrente tibi mutare, & proposito casui accomodare non erit difficile. Senæ plus minus sumere potes. Interdum etiam Elleborum prorsus omittere. Vsus erit illius ubi vel semine sunt morbi gallici; vel illius reliquiæ quædam restant. Non opus est

est tam accurata victus ratione, ut in cæteris qui decoctum bibunt ex professo. Si mane horam unam, aut paullo plus in lecto sudare potest, sufficit. Inde sudor diligenter detergeatur. In publicum prodire, nisi aer valde austrinus aut borealis fuerit, licet. Cæteroquin in omnibus mediocritatem servare utilissimum est. Sed usus ipse rationi conjunctus hæc rectissimè docebit. Radicis ononidis cortex exsiccatus exhibetur ad drachmam unam plus minus cum vino, quod si acrimoniã metuis, propinetur cum aqua malvarum. In decocto ad ℥ j. ad ℥ ß. assumere innoxium est. Præcedant tamen materiarum communium diversiones per enemata, aut per exhibitionem terebinthinæ cum Rhabarbaro; cuius assumptione etiam viç urinariæ, ad commodius excludendum calculum, laxãtur. Historiolam de rubea nostrate abs te cõfectam lætor. Rem gratissimam facies domino Camerario, & me simul hoc fasce levabis. Exquiram tamen ipse etiam domini Camerarii de illa judicium. Fortasse non malè faceres, si etiam domino Cratoni legendam exhi-

beres. Vbi Viennam, Deo volente, pervenero; ea quæ vis apud D. Acholzium tuo nomine efficiam. Spero autem nos intra dies ab hinc quindecim illuc appulſuros. Illinc in Auſtriam ſuperiorem proficiſcemur, & demum quod felix & ſalutare Deus eſſe jubet, Eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ ad Auguſtana comitia. De cęteris alio inter nos conferemus tempore. Tu bene & feliciter cum tuis omnibus vive & vale. Poſonii Pannoniorum, 4. Februar. anno 1582.

Sequitur deſcriptio eorum medicamentorum, quorum in hac epiſtola mentio facta eſt:

Electuarium de macis:

℞ Macis in aceto per horas xx. præparati ℥ 1.
Extracti ligni aloes ʒ ß.
Theriacæ Auguſtan. ʒ 3.
Sem. citri excortic. ʒ 2.
Conſer. è fl. borrag.
Cortic. citri condit. an. ℥ 1. ß.
Miſc. & cum ſyr. de corticib. citri q. ſ. f. Electuarium.

Ele-

Electuarium caryophyllatum.

℞ Conser. rosar. rub. ℔ ß.
Spec. aromatic. rosac. Gabriel. ℥ 3.
Carophyll. incis. ℥ 2.
Ambræ el. ℈ ß.
Misc. & cum syr. de corti. citri. q. s. f.
Electuarium.

Confectio de styrace.

℞ Passular. minor. ℥ 2.
Pulu. liquiritæ ℥ 1. ß.
Ligni aloes,
Nucis condit.
Cinnamom. an. ℈ 1.
Styrac. calamitæ ℥ ß.
Boli armen. ℈ 2.
Misce. & cum sacch. albiss. in aq. violar.
dissol. ℥ 5. f. conf. in morsulis.

Pillulæ de laudano.

℞ Laudani puriss. ℥ ß.
Trochiscor. Alhandal. ℥ 3.
Mastich. ℥ 1.
Mastix & laudanum super carbones in mortario calefiant, & dissolvantur, deinde Trochisci cum electuario de succo rosarum ℥ ß. incorporentur, ac add. parum syrupi rosac. solut. f. massa. s. a.

Diacodion.

℞ Capit. papaver. alb. numero xx.
Siliquar. pingu. & enucleat. ℥ 2. ß.
Glycyrrhizæ.
Myrtillor. an. ℥ 1. ß.
Rad. tussilag. ℥ 1.

Decoq. in lib. x. aq. donec tres remaneant, & adde sacchari penid. ℔. 1. Coquantur ad spissitudinem mellis currentis.

Confectio de Rhabarbaro.

℞ Rhabarbari el. pul. ʒ 2.
Extracti Rhabarb. ℈ 1.
Misc. & cum sacch. albiss. in aq. simplici dissol. ℥ 6. f. conf. in rotulis.

LAURENTIO SCHOLZIO MED.
Petrus Monavius S. D.

ET tuis & meis occupationibus fit: ut rarius scribamus invicem, hoc tamen amicitiæ nostræ aliquid derogare minimè decet: cùm de animo utriusque satis constet. Quas itaque mensis Iunii die vigesima ad me dedisti: ea undecima sequētis mensis rectè accepi Augustæ Rheticorum in ipsis comitiis. Pro transmissis iis

iis, quæ in lectionibus Bucephali nostri περὶ παθῶν γυναικείων reliqua erant, tibi magnas gratias ago: & referre etiam in simili officiorum genere studebo. Res quas tractat præclaræ sunt, & maxima doctrina refertæ, experientiaque diutina satis superque comprobatæ; sed genus ipsum dicendi pænè horridum est: atque sæpè adeò obscurum, ut vix ab ipso autore intelligi credam, quo in genere quantum Italis Galli, & hos imitati Germani nonnulli Medici superiores sunt, cuivis manifestum est, nec immeritò sapientissimus autor Thucydides hæc duo in viro politico cõjungit, nimirũ γνῶναι τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, id quod etiã in cæteris professionibus locum habet. Res certè ipsæ nominibus involuuntur: quæ si ignota sunt & obscura, qua ratione perspicuè & clarè percipi & tradi possunt? Verùm de his satis. Communicavi tibi ex penu mea vicissim Cratoniana quædam: quæ tibi non ingrata esse puto, haud dubiè fratre meo curante jamdudum illa accepisti. In præsentia particulam epistolæ eiusdem Cratonis tibi transmitto; qua tribus meis quę-

Frangula. ſitis ſatisfacit. Quorum primum eſt de cortice frangulæ, cuius decoctum pharmacopæus quidam Pragenſis mihi retulit Doctorem Willebrochium ſolitũ propinare patientibus ſuis: ut de eventu morbi certior eſſet. Macerabat autem corticem illum per quintiduum, poſtea de infuſione propinabat ℥ 3. circiter: & ſic explorabat num æger morbum eſſet evaſurus, nec ne, quibus tamen indiciis iſtud cognoſcebat ignoro. Vides quid Crato noſter ea de re ſentiat. Alterũ ζήτημα erat de præparatione humorum ante expurgationem: quam nam methodum ille uſurpare ſoleat; cùm rariſſimè in illius evacuationibus eiusmodi decoctiones, aut ſyrupos, quibus vulgo Medici utuntur, viderim. In reſponſo illius quædam deſidero; quæ per te animadvertere potes. Ac niſi longiuſcula eſſet, meam quoque epiſtolam, quam illius oppoſui, ad te mitterem. Sed audiam prius quid tibi in mentem veniat: ut uberior inter nos conferendi ſuppeditetur materia. Tertium quæſitum erat de opere quodam Franciſci Valleſii Medici Hiſpani, quod de contro-

troversiis Medicis inscribit. Hic liber præstantissimus nunc opera Cratonis denuo recusus est in officina Andreæ Wecheli hæredum, & per me quoq; à multis mendis repurgatus, ut in præfatione præmissa videre licet. Adjunxi autem præter ἀπεκδοχὰς Cratonianas, etiã aliud quoddã scriptum de utilitate Rhabarbari: quod à summo quodam viro Augustæ mihi comunicatum est: Cui D. Adolphus illud clàm obtulit. Cupio scire quid tibi de eo videatur. Augustæ cum essem, cum multis præstantissimis Medicis principum & civitatum notitiam contrahendi occasio data fuit: quæ me adhuc delectat: & in multis non mediocriter profuit. Vellem te quoque interdum adfuisse: cùm consultationes sive publicè, sive privatim haberentur. Inter cæteras autem jucundissima mihi fuit consuetudo optimi Camerarii nostri, quem antea de facie non videram; & cum quo totos sæpè dies continuò transegi. Aderat deinceps ibi quoque D. Paulus Lutherus, D. Kolreuterus, D. Postius, D. Wierus, & alii quamplurimi, quos longa referre mora est. Taceo de Augu-

ſtanis D. Luca Stenglio, D. Adolpho Occano, D. Scheurlino, D. Zanlio, & aliis publicè notis. Vno verbo dicam: μυριανηκία ἀγαθῶν ἀνδρῶν καὶ ἀγαθῶν ἰατρῶν illic convenerat. D. Fridericum Sebiſchium ſi quando ad illum ſcribes meo nomine amanter ſalutes. Inter cæteros præclaros libellos Medicos, & diu à me deſideratos, quos Auguſtæ æquiſſimo precio emi, etiã Herbarium quoddam vivum eſt, magna & accurata diligentia collectum, quod etiam D. Acholzio, cui nudius tertius oſtendi, placuit. Velim tibi quoque inſpiciendi facultatem dare, ſi fieri poſſet. Sed quod locorum intercapedo prohibet: aliis rationibus compenſandum eſt. Corollarii loco electuariũ quoddam transmitto, quod in obſtructionibꝰ viſcerum maximo uſui eſt, & præſertim in morbo virgineo ab Hippocrate vocato. Communicavit autem mihi illud Ducis Bavariæ Medicus præſtantiſſimus, & ſe multa centena eo lucrifeciſſe dicebat, & ferè domi ſuæ, ne innoteſcat parare ſolere. Hæc autem eſt deſcriptio ex illius αὐτογράφῳ:

Electuarium è chalybe.

℞ Limaturæ ferri electi ſeu chalybis ℥ 8.

Mo-

Molatur super porphyrite subtilissimè cum aceto deinde siccetur ad solem, aut ignem, & sic septies iteretur.

℞ Limaturæ sic præparatæ ℥ 6.
Cinnamomi,
Nucis conditæ an. ʒ 3.
Rhabarb. el. ʒ 2.
Syr. aromatic. rosat. ʒ 6.
Mellis optimi,
Sacch. albiss. el. an. ℔ 1. ℥ 1.

Misc. cum lento igne, & f. Electuarium. Qui hoc Electuarium assumit exercitio utatur. Δόσις sit instar castaneæ, vel ℥ ß. Præcedat autem purgatio universalis. Potest uti ad dies XXX. vel XL. Vidi libellos quosdam à D. Salomone Alberto nuper foras datos: qui mihi valde placent: ob rerum & verborum bonitatem. Soletne etiam tecum per literas communicare? Misisti ad me aliquando descriptiones quorundam medicamentorum Cratonianorum: cùm mea in hoc genere tibi inspicienda priùs dedissem. Eam chartam amisi; aut saltem alicubi latitantem reperire non possum. Rogo igitur ut denuò ad me descripta mittas. Conabor par pari

referre. De cæteris alias. Pestis in vicinia grassans, & totam ferè Bohemiam depopulata nobis etiam minari incipit DEUM precor ut eam à nostris cervicibus clemēter avertere velit. Bene & feliciter vale, & salve amicè integerrime. Vienna Austriorum, 20. Octob. an. 1582.

LAURENTIO SCHOLZIO MED.
Petrus Monavius S. D.

BINIS mihi literis tuis satisfaciendum est: quarum alteras mense adhuc Novembri, anni proximè elapsi accepi: alteras ante dies plus minus quinque. Vt autem hanc meam tarditatem æquo animo feras, amanter oro: & potius meam accuses negligentiam; quàm ut illa me ex parte tui oblitū esse suspiceris. A morbo meo arthritico, postquā semel repulsus discessit, immunis fui per Dei gratiam hactenꝰ, quia tamē facile fieri posset; ut stato tempore reverteretur, præsertim cùm nobis in aula degentibus non semper temperatissimis esse liceat: omni cura in præcautionē incumbo; & intra paucos dies post venæ sectionem etiam corpus expurgare

re in animo habeo. Hæmorrhoides ut denuo fluant mitiorib. pharmacis impetrare nequeo: fortiora autem exhibere aut applicare multis de caussis vereor: præsertim cùm etiam sanitatis tempore alioqn immoderatius promanarint: ac sæpè major labor sit in sistendis superfluis, quàm in parcioribus irritandis & provocandis. Electuario de hiera utor frequenter sub ipsum cœnæ tempus, & mihi multũ conferre sentio; ipsæ tamen hæmorrhoides aloës permistione, ut antea fieri memini, se ad fluxum permoveri non patiuntur. Supplent interim earum vicem cucurbitulæ scarificatæ, quas supra genu collocare soleo. Symptoma illud meum, quod mihi sæpius molestum fuisse nosti, jam à biennio ferè integro, & amplius non recurrit. Vtinam planè emaneat, & ad extremos Garamantes relegetur. Consiliũ Cratonis in hoc casu ad me scriptum, unà cum aliis nonnullis proximè ad te missurus sum, non enim in præsentia describere vacabat, significabo etiam quid in me ipso expertus ac quibus potissimum adjutus sum. Verè tamen id usurpare pos-

ſum, quod alicubi apud Gregorium Nasſianzenum legitur: Fuiſſe hanc curationem potiùs εὐχῆς ἔργον ἢ φαρμάκων etſi quidem remediis ex arte adminiſtratis, ſi piæ preces adjungãtur, ita ſæpiſſimè Deus benedicit, ut ſalutarem eventum ſortiantur. Quæris de viribus terræ noſtræ ſigillatæ Sileſiacæ. Ego verò nullam hactenus peculiarem in illa facultatem ineſſe, deprehendere potui, quæ de dolore oculorum & ſiſtendo ſanguine Camerarius refert; ea à manifeſtis qualitatibus dependent. Ac non tantùm hanc noſtram, ſed terram quamvis hoc præſtare crediderim. Certè enim emplaſticam vim, & adſtrictoriam omnes in univerſum obtinent: etiamſi ratione puritatis, aut compactionis ſeu denſitatis certos gradus habeant. In dyſenteria & aliis fluxionibus ea lubentiùs, quàm bolo aut ſphragide lemnia uti malim; rurſum in peſte & aliis febribus malignis longè hanc illi præferre velim. Potes aſpicere quæ Galenus in 9. ſimpl. de terris omnibus in genere ſcribit: quæ itẽ de hæmatite peculiariter refert. Cùm in patriã nuper exſpatiatus es; ſcire velim

an

an etiam Cratonem nostrum inviseris, quod si neglexisti; haud rectè abs te factū assero. Denuo se ad consultationum suarum medicarum editionem accingit: & Weindrichio nostro munus illas colligēdi, & describendo in ordinem redigendi assignavit. Ego ἐργοδιώκτȣ officio fūgor. Et currenti, quantū licet, calcar addo. Herbarium illud vivum, quod Augustæ comparavi, vulgares maxima ex parte plantas continet, raras valdè paucas. Impetrabam nuper à Clusio nostro: ut si quæ falsæ nomenclaturæ appositæ essent, eas corrigeret; & pro suo judicio veras substitueret, quod etiam in mei gratiam fecit haud invitus. Electuarium de chalybe tibi placere lætor. Exstant & aliæ descriptiones passim in antidotariis, & præsertim una quæ Rhasi attribuitur: sed hanc cæteris selectiorem esse apparet. In viscerum, lienis maximè, obstructionibus magnam vim possidet. Etiam fœminis & virginibus decoloribus rectè datur. Feci & ego in una atque altera periculum. Epistolam tuam ad Dn. Wilebrochium mox altero die curavi: & ipsi equis dispositis summo

præfecto in manus dedi. Si quid responsi accepero, continuò ad te missurus sum. Addidi meas quoq; literas, cùm hæc scribendi occasio offerretur: & de nonnullis ex eo quæsivi, responsum tecum itidem communicaturus sum. Vnguentum viride, cuius mihi spem facis, videre cupio. Quæ de viribus Rhabarbari transcripta mittis: significes velim à quo habeas, aut unde acceperis. Cratonicum quid redolent: qui & ipse huiusmodi confectionem è Rhabarbaro in usu habet. Venio nunc ad ea quæ cum hisce literis sunt. Habes inprimis consiliũ Cratonis nostri de præcautione in peste Latinè conscriptũ; cuius in superioribus meis ad te memini. Convertit autem illud ipse in vulgarem linguã & quædam suis locis immutavit, correxitque: quod & ipsum tecum commune facere placuit. Sunt deinceps theses de peste, quas in domini Camerarii gratiam confecit; & denuò emendavit, itaque ut hoc modo ad ipsum Camerarium describtum mitterem rogavit. Præter alia hæc novum in illis est; quod pestem duplicem, publicam nimirum, & privatam facit;

facit; & quod in curatione suam quãdam peculiarem methodum sequitur. Quid per ambram griseam, quæ sulphuris colorem referat, intelligat: non assequor. Quæ apud nos in precio habetur, cinereũ colorẽ habet, aureis quibusdam punctis micantibus interstinctum. Vnde & chrysea seu ut vulgo loquuntur, grisea appellatur, responsionem illam ad quæstionem meam: An durantibus doloribus arthriticis evacuatio molienda sit: tibi non ingratam fore cõfido. Adjeci aliã ἀπεκδοχὴν ex iis literis, quas ante triduum modo accepi. Tuum de his judiciũ expecto. Dum serosum humorem principem causam istius affectus facit; Fernelio plane adstipulatur. Ad quam sententiam etiam accedit Ioh. Sylvius Insulensis: qui de hac re peculiarem commentarium edidit. Cuius inscriptio est: De articularii morbi curatione tractatus quatuor. Propositum eius est; ad usum practicum accomodare ea, quæ in Theoria Fernelius de istis fluxionibus tradidit. Ego quoq; sæpe expertus sum: incoantibus istis defluxionibus, valde utile esse exhibere syrupos illos

Ambra grisea rara.

Dum arthriticus est in fieri nec purga, nec hydragoga propines.

modice incrassantes ; utpote sunt de liquiritia, de rosis siccis, de jujubis, & similes, cum aquis accommodatis : præsertim autem in biliosis naturis : in quibus humores acriores sunt & subtiliores, & ideo ad fluxionem magis apti. Præmitto tamē bolum aliquē ex cassia, Tamarintis cum scrupulo uno vel semidrachma Rhabarbari pulverisati : quibusdam valde multū profuit. Hydrotica in præcautione prosunt; non in curatione. Sic enim magis ad articulos humor subtilis deturbatur: nisi fortasse in declinatione morbo, corpore jam à crassis humoribus repurgato. Ad extremum addidi integram curam, qua feliciter usus est Esromus noster in paralysi post colicam : qui morbus in istis terris, Austria nimirum & Moravia, valde frequens est, adeo ut fere nulli colici fiant ; quin paralitici evadant. Modum præcavendi hoc malum in quarta parte Antiparacelsicorum D. Erasti legere potes. Ascripsit Esromus ferme ubique, quo cum successu singula usurparit; & ego ex eius autographo hæc con[illegible]avi. Vt autem uberius etiam me tibi gratum ostendam

dam pro tot communicatis remediis, en τριχοποιόν. ἀπέλεστον quoddam ſingulare in producẽdis capillis ubi illi deciderint. Sume ſpumam carnis bubulæ nõ valde pinguis, vel potius macræ in aqua decoctæ, & illã collige in ollulam mundam, poſtea loco depili reddito, inunge. Poteſt etiam aliquid mellis addi, ut craſſiorem conſiſtentiam adipiſcatur. Sed mihi magis placet priori modo adminiſtrari: ne propter lentorem pori cutis, unde pili erumpere debent, obſtruantur. Ego nuper admodũ in quodam cui ſuperciliorum pili ex morbo omnino deciderant feliciter uſus ſum. Accepi autem à D. Stromero; qui mihi hoc quoque pſilothrum communicavit: *Pſilothrum.*

℞ Calcis vivæ ℥ iiij.

Auripigment. ℥ j.

Cum lixivio comiſceantur in formam unguenti, utatur eo æger in balneo cum ſudare incœperit, & ultra octavam horæ partem illitum non relinquat, tantiſper ſcilicet donec crines evelli incipiãt. Poſtea aqua tepida locum abluat: aut, quod ſatius eſt, lacte calido, ne quid exulcera-

Bb 2

tionis in cute relinquatur. Ajebat etiam se succo hyoscyami in eundem finẽ usurpare. Vnum si in præsentia addidero, finẽ scribendi faciam. Communicavit mihi quidam amicus meus, medicinæ Doctor, singulare quoddã experimentũ in quartana; quo se quã plurimos restituisse gloriabatur. Estque hoc: Accipe cor leporis ita præparatum, ut pulmo vulpis præparari solet, postea dividatur in tres partes æquales, & patienti paullo ante paroxysmum, aut etiam in ipso paroxysmo cum vino detur. Continuetur hoc tribus vicibus, ut dictum est. Et quarto paroxysmus prorsus emanebit. Tu si libet, huius rei periculum facere poteris: ego ab eo tempore nullum quartanariũ habui. Vidi nuper libellum Medici Galli Christophori Landrini, Germanice cõversum per Hieremiam Martium Medicum Augustanum: in quo plurima ἄπειρα remedia ex vilissimis rebus, inprimis vero ab excrementis animalium petita, traduntur; contra morbos gravissimos & periculosissimos. Statim emi & avide percurri: ac quidem eum ipsum esse puto, quem te olim

Secretum pro quartana.

lim apud D. Salomonem Witebergæ vidiſſe, ſæpe dicere memini. Ita enim excrementorum uſum extollit,&fere ab his ſolis adverſus pręcipuos morbos remedia ſumat. Niſi antea habes: non dubito quin illum pro te comparaturus ſis. Chartas pauciſſimas habet, & adjectus eſt ad librū ſecretorum Gabrielis Fallopii, qui inſcribitur *Kunſtbuch*. Hæc volui neſciusne eſſes. Cætera quæ reſtant, in aliud tempus reſervo. Bene & feliciter vale, chariſſime mi Scholzi. Reſalutant te Dom. Cluſius & Acholzius. Viennæ Auſtriorum, 11. Martii: ipſo nempe æquinoctii verni die, anno 1583.

LAURENTIO SCHOLZIO MED.
Petrus Monavius S. D.

INSTITUERAM, ad te bene longam epiſtolam, chariſſime mi Laurenti, cum idoneos homines, qui eam ad te perferrēt, nactus eſſem: ſed crede mihi, ita nunc occupatus ſum, ut totam diem circumcurſitando, & ægros viſitando inſumam; nec quicquam vacui temporis ad ſcribēdum mihi relinquatur. Ad poſteriores

tamen tuas, quas ante paucos dies accepi, uno atq; altero verbo respondere placet. Quod ad eum casum attinet, in quo D. Acholzii consilium expetis: sententiam is suam missa schedula in hæc verba exposuit. Proculdubio caro illa spongiosa per orificiũ prominens, pinguedo quædam fuit, glandosa & durior facta à collecto crasso quodam humore articulo tamdiu distorto. Cum vero illa non cedat asperis medicamentis impositis: suspicor ne cancerosum quiddam contrahat. Proinde mitius ulcus tractandũ existimo: ne aliena intemperies vehementiũ usu parti illi concilietur. Quiescendum verò semper: aut crure elevato sedendum illi, dum curatur, ambulandum certe nunquam. Hactenus ille. Quamvis autem in specie medicamentum nullum proponit: à præcipitati tamen usu abhorrere non sensi: modo is ita administretur; ut nimia acrimonia auferatur: id quod fiet si aliquoties in aq. rosor. plantag. & demum cardui bened. lavetur. Possunt etiã circumponi defensiva, ut vocant: ne malignitas longius serpat, & sanas partes occupet, alioqui mitiora

tiora adhibenda, quæ nativam parti temperiem quantum fieri poteſt, reſtituant. Cætera tu pro judicio tuo gubernare ſcies. In primo caſu, quem mihi proponis, omnino Guajaci decoctũ, cui ſub finem radices cichorii, herba agrimonia, & iua adjuncta ſint, cõvenire exiſtimarem. Saſſafras vix apud vos haberi puto. Vſus tamen ſum eo hactenus non ſemel, etiam in arthriticis affectibus. De quo plura in præſentia nõ licet. De Chriſtophori Landrini libello idem pæne ſentio, quod tu. Et ſcis quid Galenus ipſe in hanc ſententiam ſæpius ſcribat. Ad ruſticos & muliones, item veterinarios medicos illa relegemus: quoties meliorum, & his non infirmiorum copia ſuppetit. Non enim, ut recte Diocles ait, tantum cito & tuto; ſed jucunde etiam curandum eſt. At quid in his eſt jucunditatis obſecro? Niſi nos ſcarabeos eſſe velis, qui fimo delectantur; aut cum veteri comico σκατοφάγους καὶ οὐροπότας in convicio appelles. Cæterum in præſentia unum ex libris abs te mihi communicatis remitto: quem mox conſequetur alter intra dies non multos. Curavi mihi

describi, quæ in eo desiderabam: super est duntaxat, ut relegam, & lacunas alicubi, ob librarii imperitiam relictas, expleam. Oro ut tarditati meæ veniãdes. Pro more vero nostro consilium quoddam à domino Cratone nuperrime conscriptum adjeci. Item alterius cuiusdam medicamẽti descriptionem: quo se mirificas curationes obiisse dominus D. Stromerus testatur. Ait plus quingentis florenis sibi constitisse. Ego vix magnis precibus extorquere potui. Habes etiam medicamenta duo excellentia in paralysi, vel contractura post colicam: *Pro Paralysi.*

℞ Rad. Vrticæ m.iij.
Iuæ arthetic.m.ij.
Baccar. lauri,
Salviæ,
Rutæ,
Rorismarin.a.m.i.
Gran. juniper.m.i ß.
Incid. & dentur ad chartam pro balneo,
℞ Pingued. taxi,
vulpis,
Gallinæ,
anatis,

anseris,
ciconiæ an. ℥ i.
Succi salviæ,
absinthii inspissat. an. ℥ ß.
Ol. laurin. ℥ ij.

Misc. f. unguentum, quo inungatur post balneũ: sunt & hæc Æsculapii nostri. Cætera in aliud tempꝰ reservo, & te cum tuis ex animi sententia valere cupio & opto, Viennæ Austriæ in summa festinatione, die 8. Augusti, anno 1583.

LAURENTIO SCHOLZIO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

RECTE accepi, quæ vestrates isti mihi abs te attulerunt omnia: tibique pro eorum cõmunicatione magnas ago gratias. Ignosces tamen quod eadem, ut voluisti, nunc non remitto. Crede mihi, tantum vacui temporis, ut attente illa saltem relegere possem, mihi concessum nõ est. Vrgent me ægri haud pauci; quos deserere, aut negligentius tractare minime convenit. Dysenteriæ epidemicæ hic multos affligunt, de quibus hæc verba heri ad me scribebat Æsculapius noster: pestilentes

alui fluxiones frequentes in Auſtria animadverti. Ad præcautionem conſervam roſarum veterem cum mithridato dedi. In curatione ad præpotentem cauſam reſpexi. Statim papyrum mithridato illitam vel umbilico, vel ventriculo appoſui. Clyſterem ex decocto hordei in jure carnis vervecinæ cum radicibus tormentillæ, & vitello ovi ſemicocto per clyſterem injeci. Pueris pulverem è zedoaria, margaritis & terra ſigillata dedi, addidi interdum tragacantham. Multos beneficio Dei ſervavi. Ab iſtis magnis compoſitionibus enematum, lacte uſtulato, & cæteris nugis abſtinui. Facile læduntur inteſtina: & ne lædantur adhibitis clyſteriis cautio eſt. Vides illum ſtudioſe inſiſtere Montanicæ methodo, & ab omnibus adſtringentibus in hoc morbo abſtinere, vixque admittere emplaſtica, haud tamen ſcio an auctam fluxionem hac ratione abigere liceat. Itaque vel inviti ad adſtringentium uſum interdum cogimur. Tibi quid hac in parte videatur, ſcire velim, noſtram Sileſiacam bolum facile ſigillo lemnio, quale quidem ad

nos

nos adfertur, in hoc casu prætulerim. Multo enim vim explasticam majorem habet. D. Carolus Oslerius jam duodecimum diem hic agit. Vocatus est in aulam: ut operam suam ei collocet. Credo in collegium nostrum ascitum iri. Mecum interim habitat, & communi convictu utitur. Libros tuos manuscriptos dabo operam ut quam primum recipias. Male facio; quod illorum fructu te tamdiu privem. Non habui quorum opera in describendo uterer: & ego hac in re paullo sum negligentior. Sed de his & aliis plura proxime. Nunc ne præsentem occasionem negligam cautio est. Bene & feliciter vale, charissime mi Laurenti. Viennæ Austriorum 22. Augusti, anno 1583.

LAURENTIO SCHOLZIO MED. &c.
Petrus Monavius S. D.

SCRIPSI nuper ad te cum legatis reipub. vestræ: verum brevius & succinctius multo, quam vel tu à me desiderabas; vel ego etiam sponte mea cupiebam. Accidit illud propter eorundem legatorum vestrorum, non quidem festinatio-

nem; ſed tamen abitum opinione mea celeriorem, quando alias in aulis, peregrinos cito expedire, & ad ſuos tempeſtive remittere (quod illi unice optant) non adeo uſitatum eſt. Librum unum Capovaccianarum commentationum de venenis, quem illis perferendum dederam, te recte accepiſſe confido, una cum aliis quibusdam, quæ tum ad manum erant, chartis medicinalibus. In præſentia à fratre meo alterum recipies: in quo lectiones de lue venerea, de vitiis ſanguificationis, ſed de morbis ſeu affectibus capitis potiſſimum, continentur. Oro te autem, optime mi Laurenti, ut huic meæ tarditati, quæ etiam merito in reprehenſionem incurrit, ignoſcas; & pro tuo libitu pœnā, quam libenter ſufferam, imponas. Nihil aliud eſt, quod æq; invitus faciam: quam ſi in transſcribendo occupat9 eſſe debeo. Poſtea tamen nactus ſtudioſum quendam medicinæ, popularē noſtrum, cum ſe proceribus quibusdam per me commendari cuperet: ei interim in hoſpitium meum recepto hoc laboris dedi; ut quicquid reliquum fuerat, in lectionibus illis capi-

capitalibus deſcriberet, quibus corrigendis meam deinceps manum admoverē, neceſſe fuit. Commentarium de venenis perlegi tantum; non quoq; deſcripſi. Iam enim ſæpius ipſe dominus Capovaccius, ſe illum correctum & augmentatū in lucem editurum promiſit. Prælectiones de morbis oculorum, & aurium eiuſdem adhuc mecum habeo: omninoque operam dabo: ut cum primum, volente Deo, Pragam pervenero, tibi illarum uſu diutius carendum nō ſit. De reliquis, quæ in myrothecio tuo ex Capovaccianis κειμηλίοις poſſides, poſterius agemus: ne me nimium procacem appelles: aut illud in me torqueri poſſit, quod apud Epigrammatarium eſt: nam turpe eſt ſemper ſumere, nilque dare. Ego ſane quid hoc in genere tecum communicem non reperio. Pagellas tamen nonnullas libro tuo addidi, quarum fortaſſe lectio & meditatio tibi non ingrata erit. Iam ad capita Epiſtolarum tuarum accedo; quibus ternis, ni fallor, mihi adhuc perſolvendum eſt, ſi illud, demas, quod cum legatis veſtris quaſi curſim ad te ante perſcripſi. Morbus ar-

thriticus, ex quo me semel absolvit, nunquam hactenus perDei gratiam rediit. Vtinam etiam in posterum emaneat, & ad extremos Garamantes æternum relegetur. Mones tu recte, prudenter, atque etiam pie, ut exquisitissimã victus rationem ferrem; nec recidivę, intemperantia mea, occasionem præbeam. Puto ego quoque id faciendum esse, & facerem omnino, si meo arbitratu res ageretur. Sed memineris me in aula versari: præterea inconjugatum esse: ut velim nolim limites diætæ Medicæ interdũ transilire cogar. Multa certe, ut Cicero venuste inquit; Dantur amicis; multa temporibus; multa etiam locis. In hac igitur servitute, dum multorum me ingeniis accommodare oportet; (nisi extreme ἄχροικος atque incivilis esse, & habere velim) dum aula modo huc, modo illuc migrat; dum convictum certum nullum habeo, convictores autem omnino varios: quomodo, obsecro, quisquam ita rationes suas instituere potest: ut ex medicorum præscripto perpetuo vivat? Sed tamen sic quoque pro viribus caveo: ut vel minimum in victu com-

mit-

mittam; vel certe commiſſa errata tempeſtive corrigam, ne in nervũ res erumpat denique. Sicut ſemel atque iterum minitari mihi morbus viſus eſt; προδρόμοις ſuis jam tum præmiſſis. Cum igitur primum curſum, qui maxime appetitur, obtinere nequeam: ſaltem mutata velificatione, ut τὸν δεύτερον πλοῦν nõ amittam, opera modo. Quanquam ne quid diſſimulẽ, hac quoque in parte non cum omnibus ſentio. Videas enim quotidie nonnullos rigidiſſime Medicorum præcepta ſervantes; & ne latum quidem, quod dicitur, unguem ab iis recedentes: qui nihilominus pluries in podagram incidunt, & diutius ab ea detinentur; quam qui liberiorem, non tamen prorſus licentioſam vitæ rationem tenent, hoc undenam evenire putas? Non unam ſane ob cauſam, quibusdam enim hoc accidit, quod nimis ſubito à conſueta victus ratione, ad aliam plane oppoſitam (etſi morbo per ſe idoneam) tranſiliunt. Cum natura ſubitas mutationes nequaquam commode ferat: quantumvis ad melius fiant: & conſuetudo, ut dici ſolet, altera ſeu ac-

Quod diæta conſueta, etſi ſimpliciter non optima: ſit in ſuo genere melior & ſalubrior.

quiſititia natura ſit, deinde cibi qui præſcribuntur, plærumque ab invito ventriculo, & aliud appetente, aliisque aſſueto, recipiuntur. Vnde fieri vix poteſt: ut ab eo recte alterentur & cõcoquantur, præſertim quia fere ſemper vini etiam non potentis, & extra paroxyſmum uſu interdicitur, hanc ob cauſam humores crudi gignuntur, qui poſtea in totum corpus, atque in articulos, ceu partem læſam præcipue diſtribuuntur. Ægri quoq; emaciantur, decolores fiunt, & ferme nunquam veram appetentiam habent. His igitur malis quonam modo occurrendum? Ajo ego: ſicut in pharmacia: ita etiam in diæta non tantum ad morbum, ſed etiam ad naturam & conſuetudinem ægri, reſpiciendum, atque ita uni dandam operam, ne alterum prorſus neglexiſſe videare. Quæ morbi ratione obſunt, indicanda quidem: non tamen ſi æger impenſius illis inhiet, aut alioquin illorum uſui aſſueverit, ita prohibenda: ut nihil prorſus de iis deguſtare liceat, hoc ſi præſtas, vere accidit illud, quod in Hippocrateo oraculo dicitur, ut videlicet cibus

& po-

& potus paullo deterior, ſed ſuavior, & in minori quantitate aſſumptus) meliori quidem, at ingrato præferendus ſit, huc quoque altera illa in eodem libro aphoriſtica ſententia pertinet: conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minꝰ moleſta eſſe ſolent. Conſequuntur etiam inde hoc lucri Medici: ut ægros in multis obſequentiores habeant; cum illi in aliquibus nonnihil ſibi indulgeri animadvertunt, multorum quoque multas calumnias effugiunt: quæ ob hoc unicum erratum illis certatim impinguntur. Sed aliud præcipere eſt; aliud permittere. Non hoc dico: ut Medicus iis cibis ægrum veſci jubeat, quos ſcit illi noxios eſſe, & inſalubres: ſed tantũ, ut cùm morbi ratione diætam ordinaverit; etiam accuratè perpendat, quid natura, vel conſuetudo commodè perferre poſſit, aut non poſſit, hic ſi videt, ventriculum quoſdam cibos avide expetere, & cum delectatione aſſumere, quinetiam probè concoquere, qui illi aliàs, morbi ratione, interdicti fuerant; moneat ægrum, ut parcius illis utatur, &, quantum licet, nonnihil corre-

ctis. Sic utriq; intentioni satis sit, tum quò ad morbum, tum etiam quo ad particularem naturam, sed consuetudinem ægri. Verissima certè sunt illa, quæ vulgo jactãtur, etiã ab imperitis rei Medicæ? Quod sapit, nutrit. Item, quod parum est, parum nocet. Infero hoc quoque consentientibus multis doctissimis Medicis: In victus ratione plus & perniciosius peccari in quanto, quàm in quali, ita ut si quantitas moderata constituatur: qualitas cibi (neque enim venenum est) non sit tantopere pertimescenda, hoc autẽ præsertim apud Germanos nostros per se ingluviei deditos locũ habet: qui regulis Medicorũ multò minus, quàm ulla alia natio, parere solent. Unde etiam in vetitum tantò vehementiùs nituntur, cupiuntq; negata: cùm si aliquid largiremur, facerẽt hoc multò minùs cupide. Quod enim (secundum Poetam) licet ingratũ est, quod non licet acrius urit: hac fallacia multos à vetitis cibis abduces facilius, quàm si severissimè illos in solidum prohiberes. Præbuit de his mihi cogitandi occasionem, quod nonnullos ita misere macerari

vide-

viderem, dum Medicorum edictis contra naturam & consuetudinem suam sive minus parcè victitando, sive à certis cibis abstinendo, obtemperare nitūtur: quando interim alii; qui aliquid genio, & consuetudini indulgent, & suavius vivunt; & morbi accessiones multo rariores, quandoque etiam mitiores habent. Cur igitur tam rigidi esse pergimus; & per se afflictis novam afflictionem addimus? Præstaret certè, secundum Hippocratem aliquid dare tempori, aliquid regioni, aliquid ætati, aliquid denique consuetudini: cùm præsertim hic morbus chronicus sit, partesque ignobiliores occupet; & non perpetuo duret, sed per intervalla recurrat, hæ tamen cautelæ addantur: Primùm, ut quæ morbo non conveniunt, sed tamen avidè à ventriculo arripuntur; iis æger parcius utatur. Deinde ut ipsi quoque ægri observent: à quibus cibis potibusve juvari illos aut lædi maximè contingat; hoc autem sæpe fit ab occulta magis proprietate, quā ἰδιοσυγκρασίαν Medici vocant, quàm à manifesta. Denique si modum se excessisse ægri sentiant, ut continuò,

aut vomitu, aut evacuatione ſuccurratur, priusquam noxa per totum corpus diſtribuatur, inque laborantes partes detrudatur, qui ſunt ad vomendum faciles: iis non incommodum eſt, quolibet menſe ſemel aut bis per vomitum ventriculũ & primas vias à crudis humoribus repurgare. Reliqui medicamentum aliquod ἐκκοπρωτικὸν ſeu benedictum in familiari uſu habeant: quo eundem finem conſequantur. In hoc ſenſu erit hiera ſimplex pill. de aloe roſata, pill. alephànginæ, infuſio foliorum ſenæ, paſſulæ laxativæ, & ſimilia. Quibus profectò ſæpius repetitis tantùm efficimus, quantũ fortiſſimo aliquo pharmaco purgatorio ſemel aſſumpto; & multo minus vires aut natura inde læduntur. Imò nonnulla ex his talia ſunt: ut & cibis tuto immiſcere liceat, & ſingulis etiam diebus per integri anni ſpacium ſumpta nihil prorſus detrimenti afferant, quod & de mea, & aliorum experientia liquide affirmare poſſum. Verùm de his in præſentia ſatis. Tu quid tibi de hac hæreſi mea videatur, apertè & conſpicuè reſcribas, obſecro. Hæmorrhoidũ apertionem,

nem, crurum ſcarificationi in meo morbo te præferre video. Sed quibusnam medicamentis me id rectè cõſequi poſſe exiſtimas? Mitiora, cuiusmodi ſunt uſus aloes non lotæ, item frictiones cum pannis aſperis, &c. tentavi aliquoties; ſed absque ullo fructu. Ad vehementiora autem, colocynthidem nempe, glandis forma ano jutruſam, aut ſimilia accedere non auſim, quòd antea, etiam ſecundum naturam fluentes perſæpe modum exceſſerunt, ut ita deinceps major difficultas ſit in ſiſtendis illis, quàm provocandis, quod addis, cucurbitulis ſcarificatis ſupra genu collocatis materias in corpore redundantes ad locum affectum attrahi: me parum movet, ferè enim levem aliquam evacuationẽ prætermittere ſoleo, deinde quantum attrahitur; tantum etiam ſimul evacuatur, per aperta illa foramina, ut hunc quoq; metũ inanem eſſe appareat. Quantũ ad ſymptoma illud attinet: quo amicum noſtrum quandoq; ſub primam quietem corripi vidiſti: quatuor his proximis, annis immẽſa Dei benignitate, vix bis illud perpeſſus eſt. Mitto tibi Crato-

Epilepticus quidam Spaſmus nocturnus.

nis nostri consilium in hoc casu mea manu descriptum: prius quidem generalius; alterum autem, post interlocutoriam ab amico illo nostro interpositam, particularius. Quantum ex eo intelligo: ait usum Electuarii illius sibi plurimum profuisse, Itaque aliquoties reparari jussit; & succum cichorii ratione caliditatis epatis, & nescio quæ alia adjecit. Verno tempore plærumque venam secat: & hoc ipso etiam anno utranque sapheam. Alioqui cucurbitulis scarificatis supra scapulas & genu appositis, duobus quibusque mensibus elapsis, uti solet. Pro evacuatione ventriculi, ac crudorum humorum in illo contentorum; sæpissimè semihora ante cœnam aliquid Electuarii Hieræ simplicis, aut pillularum de aloe rosata deglutit. Lotiones quoque capitis ex herbis præscriptis, & agarici ʒ 2. aut 3. administrat frequenter. Frictiones matutinas alternis diebus non negligit, & aliquid etiam præsidii in ungula alcis, quam amuleti loco, de nocte præsertim collo suspensam, annuloque inclusam digitis gestat, collocatum habet. Liberari illum non mor-

bo

Antidota quædam præ ſe valẽ-tia maximè à peſte.

bo ſolùm: ſed omni etiam metu morbi illius, vehementer optarim. Quæ de peſte ex colloquio tuo cum D. Cratone, & D. Weiſelio ſeniore habito prolixè conmemoras libentiſſimè legi, & pro eorum communicatione gratiam habeo. Latiſſimus campus eſt de his disputandi; ſi circa omnia diſcurrere velimus. Electuarium Dioſcordion ego, præ reliquis (excepta theriaca & mithridatia antidoto, tanquã jam olim decantatis, & nunc quoque laudem & vires ſuas obtinentibus) magnifacio. Eſt hic in frequenti uſu Electuarium quoddam, quod facultatis indigitant (communi enim Medicæ facultatis conſenſu ordinatum eſt) cuius deſcriptionẽ, ſi monueris, proximè mittam. Cum reliqua namq; ſupellectile mea Pragam præmiſi. Plurimum etiam cõmendatur confectio manus Chriſti perlati cum extracto angelicæ, qua ipſe etiam Imperator utitur. Valde enim delicata eſt, & colorem omnino candidum obtinet. Ego ſacculos ex Arſenico, quales Patavii, ut ſcis ſolemnes erant, hic pro multis ordinavi: etiãſi Crato noſter valde repugnet. Multi

proceres in aula cordis regioni applicatos continuò absque ulla noxa circumferunt. Retulit mihi quoque nuper chyrurgus aulæ nostræ jam senior: se in multis pestilentibus constitutionibus fuisse, & sua manu infectos plurimos tractasse; semper tamen à contagione immunem permansisse, quod secum gestaverit radicem plantaginis majoris sacculo inclusam, & cum filo regioni cordis adaptatam, ut res celetur: pulveris lavendulæ aliquid admiscere solet; & hinc inde distribuere. Ait se nemini concredidisse, nisi mihi. Quicquid sit, sæpe etiam parvis gratia rebus inest. Item; Quæ neglecta jacet, pondus habere solent. Plærique ex civibus præcautionis nomine camphoræ momētum vino injiciunt, & inde mane bonum haustum bibunt. Vtrum ea calida vel frigida sit; in medio relinquo. Argumenta utrinque afferuntur non levia: quibus Crato noster adductus, utriusque excessus mediam temperaturam habere affirmat; sed ratione tenuitatis substantiæ caliditatis ἔμφασιν objicere. Prudenter Weiselius senior λοιμικὰ φάρμακα in duplicem clas-

Novum experimentum de radice plantaginis.

Cratonis judicium de caphuræ temperie.

classem, absorbentium nimirũ, ϗ ἰδρωτικῶν distinguit, quod nisi fiat: multiplex oriri solet ambiguitas & cõtroversia. Vnguentum viride, abs te communicatum, illud ipsum esse arbitror, quod vernaculè apud nos eodem nomine *die grüne Salbe* appellatur. Scis nostris hominibus panaceæ loco esse solere, ac præsertim eo utuntur in ruptis, convulsis & luxatis, hoc enim unica voce *(Verbrechen oder das Wehethun)* nostri, ni fallor, efferunt. Si diversum judicas, significa, Germanicam descriptionem ex vetusto quodam manuscripto codice nuper mihi designavi, haud scio an omnia inter se cõveniant. Mihi nimis magna miscella videtur: quam ubi possum, studiosè refugio. Sub artẽ enim ista nõ cadunt: cùm quæ secunda temperies, forma, aut proprietas inde post fermentationem tot invicem commistis emergat, artificiosè conjectanda assequi nemo possit. Hoffmannica accuratè cogitata, sunt: remedia quoque præclara. Sed ægri facilè terrentur, cùm tantam medicamẽtorum copiam ob oculos positam aspiciunt, & postea nullis ferè utuntur, seque

& Medicum decipiunt. Hoc nomine etiam consilia Montagnanæ, & aliorũ quorundam Italorum approbare nõ possum: cùm nimis scrupulosè omnia persequantur, & in diæta sola ordinanda multas paginas & chartas consumant. Vt Italos talia expetere concedamus: apud Germanos certè nostros parũ utilitatis obtinent, in quam sententiam antea etiam nonnihil disserui. Non est docentis omnia semel: docere velle: nec Medici omnia medicaméta semel proponere, quandoquidem multa cadunt inter calicem supremaque labra, hoc est, morbus in eodẽ statu numquam permanet; sed subinde symptomata evariantur, quæ deinde nova etiam pharmaca desiderant, ita res in infinitum sese extendet. Quantũ ad ægrum illum tuum, cui Guajacum propinare in animo habes, spectat breviter etiam consilium & mentem meam nuper aperui, videlicet, non improbare me ullo modo hoc decoctum: immo potiùs præmissis præmittendis etiam atque etiam suadere. Sed caliditatem eius exhorres, & corpus magis attenuatum iri arbitraris. Non est

De Guajaco præbendo pro restaurando calido nativo.

est difficile, mi Laurenti, caliditatē hanc contemperare, additis sub finem decoctionis radicibus cichorei, fl. & fol. borraginis, seminibus melonum, item passulis excorticatis. Verùm illud me magis hæsitantem reddit: Num intemperies, quæ jam in habitu est, & partibus penitus infixa, non ob externum duntaxat errorem, sed facultate ipsa læsa; tam citò & facilè tolli queat? An etiam satis tutū sit, hac ætate illud tentare? Præterea cum nativum calorem, qui omnium naturalium operationum in corpore summus opifex est, admodum debilitatum esse significes; miror te de iis tantùm remediis cogitare, quæ qualitati illius subveniunt, frigiditatemque ipsi contrariam corrigunt, immò etiam, quæ hoc cum excessu aliquo faciunt suspecta habere, & non illud potiùs considerare quod in arte nostra ἀξίωμα est: Calorē nativū substantiā quandam esse aeream & aquam, seu aere & aqua participantem: nec ullo excessu caloris, quæ qualitas sit, præditum. Hæc autem substantia, in pueris potissimum abundat: mox ubi homo ad ἀκμὴν perve-

verit, decrescit; donec in extremum senibus secundum naturam prorsus exstinguitur. Cùm autem æger hic, anno quadragesimo quarto superato, ad declivam ætatem tendat: quonam modo defectum substantiæ caloris ingeniti resarcies? quid repones; ut rursus vegetum efficias, quiq; operationes pristinas exerceat? Natura autem, ut domina, debili existente, quid Medici, ministri huius, laudabile efficient: Vides igitur istud prognostico servire: ne temere illi ægro, cui naturæ subsidia necessaria desunt, salutem, aut in integrum restitutionem promittas. Sed tamen nihilominus hoc artis præsidio consequi licet: ut si non melius, saltem minus malè habeat. Vt itaq; excrementiciorum humorum minus in corpore colligatur, sed illis intempestivè benedictus nuncupatis pharmacis expellantur, operam dabimus. Partem quoque affectam pro virili roborabimus: & fluxionis impetum, ne nos præveniat, inhibebimus. Materias, horum non recenseo, cùm alias inter nos de his actum sit; & tu fortasse melius scias ipsa. Quid Dryoxylus de altero casu re-

spon-

ſponderit; jam tenes. Mihi quidem non omnino ſatisfacit. Neque enim prorſus aſſentior:à craſſo quodam humore collecto ſpongioſam illam carnẽ ortam fuiſſe, alioquin tumorem potius excitaſſet: ſeu œdematoſum, ſeu ſchirroſum. Seroſum ego humorem, & tenuem atque ſpumoſum ſubeſſe dicere malim: qui carnes vicinas, veluti fermentatione quadam facta, inflarit, & ita rationes, maiusque ſpacium occupantes, effecerit, hic, cùm jam eo malignitatis pervenerit, ut à natura concoqui & ſuperari nequeat: nimirum omninò è corpore exturbandus eſt, tum ſumptis, tum admotis. Inter aſſumenda, ea probarim, qua melancholicum humorem, (huius mineram, ut loquuntur,) reſpiciunt; ſimulq; admiſtos ſeroſos humores ſive per urinam, ſive per ſudores, quo in genere ſarſa excellit) evacuant. Extra admoveantur, & loco imponantur καθαιρετικά, inter quæ mercurius præcipitatus lotus aut non lotus principatum obtinet. Eluatur locus lixivio ex calce facto; etiam oleum vitrioli ſeu ſpiritus eius admoveatur; aut unguentum Ægyptiacum, & ſi-

milia ſuperponantur,ita tamen ut ſemper ſanæ partes defenſivo vocato muniantur: ne & ipſi ob vim mali ſerpentem contagio lædantur. Vbi hæc omnia ritè peracta fuerint: tum demum de temperie nativa parti reſtituenda ſerio cogitandum,cum non remotis impedimentis, hoc fruſtra tentetur ab initio. Vt autem deſiderio tuo plenius ſatisfaciam: mitto caſum pueri cuiusdam ſanè mirificum cum adjuncto conſilio Cratonis noſtri, cuius te omnia magnifacere video, nec immeritò. Aliquo modo cum tuo convenit: in multis etiam diſcrepat. Reperies hunc adjunctum lectionum Capovaccianarum volumini. Hiſtoriam curationis tuæ ἀκυτόκια. præſentaneæ ἐν τῇ δυστοκίᾳ libentiſſimè legi. Illud medicamentum de borrace antea ſæpè commendari audivi; nondum tamen ipſe uſus ſum. Quam verò tu vim Ætiti tribuis; eam etiam magneti lapidi ineſſe putarim. Siquidem practicis noſtris fides adhibenda eſt: qui tamen non raro audita potius & lecta, quàm viſa & ab ſe experta, in medium magno hiatu afferunt. D. Weyſelius junior mirificas facul-

facultates magneti lapidi tribuit; & eum semper secum, quo nusquam illo careat, gestare solet. Literas tuas ad Copisium rectè curavi: en habes alias à D. Sibenburgero nostro; qui eadem occasione ad me etiam scripsit. A D. Willebrochio nihil vidi hactenus: nisi fortè tibi alia via satisfecit, hæc scribo cogitationibus circa iter distractis: quod me crastino die, ζὺν θεῷ ingressurũ spero. Cæsar jam ante, decendium abivit: verùm cum non recta via Pragam tendat; aulici paullatim subsequuntur. D. Carolum Oslevium, collegam meum, Pragæ me reperturum confido. Num has recte acceperis, ut me quãprimum, saltem per fratrem certiorem facias, rogo. Bene & feliciter vale, charissime mi Laurenti, & pro ternis tuis hanc unam epistolã, illis junctis non multò breviorem; æquo animò accipe, literisque cunctante tabellione hinc inde insertis ignosce. Viennæ Austriorum 13. Octobris secundum veteres Fastos, anno 1583.

Post scripta.

CVM Dominus Crato de Domino præfecto equis dispositis quæreretur, num illi cauteria, quæ D. Acholzius suadebat, convenirent ratione podagræ, quæ illum jam quinquagenarium à multis jam annis affligit, cùm nuper etiam ligno sassafras usus fuerit, in hæc verba ad me respondit: De valetudine præfecti equis dispositis quid scribam? Meas opinationes de ligno minimè falsas fuisse animadverti. Si cauteria ichores perniciosos in universum exhaurire possent, fortasse aliquid prodessent. Sed quum non possint; & quanto cum periculo claudantur: satis multa exempla me erudierunt. Præcepta etiam medica vetant trahere materiam ad partem debilem, & per loca affecta evacuare. Nolo recitare quid aliis contigerit. Itaq; quid consilii de cauteriodem, non reperio: nec præsentibus Medicis quicquam præscribo, habes satis meam sententiam de morbis articularibus, tum ex aliis meis scriptis;

ptis; tum iis, quas ad Schonfeldium misi, exploratam. Nullam causam reperio, cur eam mutem. Vsum frequentem pillularum mearum de tribus, vt appello, conuenientiorem illi futurum, quam cauteria arbitror, præsertim si limatura cornu cerui in potu infusa vtatur, & se ad matutinos sudores assuefaciat, denique nunc sub vindemiam vinaceis pro fomento articulos corroboret. Vnum hoc ἐπιτάγματος loco addo: si in febribus putridis intermittentibus quibuscunque, apparente aliqua, etiamsi non perfecta, in vrinis coctione, ægro ipso die paroxysmi medicamentum purgans dederis, ita vt effectum suum ante paroxysmi inuasionem compleat (horis scilicet quatuor aut quinq; antequam paroxysmum aduenturum putas) videbis febrim post illum paroxismum non amplius reuerti; sed prorsus tolli quasi incantatione quadam. Probaui iam sæpius, & in pluribus semper euentus respondit. In tertianis post tertium aut quartum paroxysmum hoc facio. In quotidianis tardius.

Etiā die paroxysmi tandem rectè purgatur.

in quartanis tardiſſimè ac vix ante triceſimum diem. Propoſui nuper hoc problema etiam ipſi Bucephalo, & ex Hippocratis autoritate deducere conatus ſum. Nondum reſpondit. Tu, ſi placet, idem experire. Iterum vale.

LAVRENTIO SCHOLZIO
Med. Petrus Monauius
S. D.

ITA diligens es in ſcribendo & aſſiduus: vt me longo poſt te interuallo relinquas, chariſſime mi Laurenti Neglexi ſane hoc officium cùm paulo plus otii haberem: *in* præſentia ob ægrorum multitudinem mihi hoc facere vix licet. Sed tamen reipſa experieris me tui non oblitum; & quod tarditate peccaui, alia ratione compenſaturum. Literas ad D. Carolum Osleuium, collegam olim meum, aperui. eaſque adhuc penes me aſſeruo. Obiit is febri peſtilenti & lenticulari extinctus ipſo die ſolſtitii æſtiui; morbi autem

tem decimo ſeptimo, ſtatim ab initio morbi malignitas ſeſe prodidit, deliriumque ſubſecutum eſt, quod ad mortem vſque perdurauit. Exanthemata admodum tardè prodierunt; die, ni fallor, decima aut vndecima. Generoſa medicamenta multa, ſed abſque omni fructu adhibita; cum præſertim æger mente non conſtaret. Vt aliquid per os aſſumeret difficillimè adduci potuit: imò ſudorificam potionem recuſauit prorſus. Illitus Ætii ex oleo chamæmolino cum nitro potenter quidem; ſed nimis ſerò, maculas euocauit. Quàm viri & collegæ optimi mortem acerbiſſimam & triſtiſſimam dolenter tulerim, credere vix potes. Iam tum meſſis in herba erat: & ille fructus ſuos explicare cœperat. Si DEO ita viſum fuiſſet: longiorē vitam illi exoptaſſem ex animo. Cum D. Iohanne Weidnero te conſtantet amicitiam colere arbitror. Meminit is nuper tui in ſuis honorificè. Aphoriſmos Archiatri noſtri miror ſanè qua ratione nactus ſis. Verè tibi confirmo, me

illos non vidisse: ac si quidem tua opera & diligentia, qua me longè superas, descriptos accepero, gratissimos habiturum. Ipse autor sua occultat pertinaciùs. Capouacciana de sensoriorum morbis remitto, placent sanè; sed describere tædet. Interim aliud exemplum etiam à domino D. Scutellario nostro mutuo accepi. Dixit mihi quidam nuper ex Italia reuersus, dominum Capouaccium nunc in lucem edidisse libellum, inscriptum Præludia anatomica: quibus Galenum contra Vesalium tueri conatur. Adiecit in fine tractatum suum de Cauteriis, multis egregiis additionibus locupletatum. Sed librum ipsum nondum vidi. Spero nunc ex nundinis Francofurtensibus affore. Quid tibi videtur de saltatricibus illis puellis; quarum historiam, & de iis medicorum nostrorum iudicium hauddubiè Dominus Dudithius ad te dudum transmittit? Meam illi sententiam liberè exposui. An cum tua congruat scire velim. Sed de his & aliis plura proximè. Bene & feliciter

Puellæ saltantes.

vale,

vale, & præparatam hanc ſcriptionem boni conſule meque amare perge. Pragæ Boiemorum, 4. Auguſt. currente calamo, Anno 1584.

FINIS libri II. Epiſtolarum Medicinalium.

AD1 146 1079

Digitized by Google

Digitized by Google



1461079

Digitized by Google

[illegible] Google